De

# Saltationis Disciplina

## apud Graecos

Thesim

Facultati litterarum Parisiensi proponebat

Mauritius Emmanuel

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

MDCCCXCV

De

# Saltationis Disciplina

apud Graecos

COLUMBARIIS
Ex Typis Pauli Brodard.

# De

# Saltationis Disciplina

# apud Graecos

Thesim

Facultati litterarum Parisiensi proponebat

Mauritius Emmanuel



PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

MDCCCXCV

Patri

Francisco

*cui nunquam parem referre gratiam possim.*

D. D. D.



Musée du Louvre, Salle H, série G ;
*Coupe à figures rouges* (n° 285), *de la première moitié du V^e siècle.*

# Praefatio

*Mihi non est propositum, de saltationis disciplina disserenti, quaestionem pertractare et ad summum explanare quae tot quaestionibus nectitur adhuc controversis, nec omnibus monumentis uti quibus res illustrari possit. Omittam enim cum pictas ac fictas imagines, tametsi disputationis obscuritatem discutiunt, tum exempla e verborum numeris ducta, — id est e Metrica arte, — quibus ad saltationem aptati numeri, ex similitudine, instaurarentur.*

*Tantummodo animum induxi saltationis disciplinam ostendere quem locum in puerili institutione haberet quaque ratione regeretur. Quod ut assequar, nonnullos e scriptoribus locos laudare multaque verba excerpere satis fuit, quibus, ordine quodam explicatis, brevem enarrationem addidi.*

*Sed ne cui legentium mirum esse videatur me; in quaestione certa temporis circumscriptione finita, — cum de libera potius quam de Romanis obnoxia Graecia agatur, — scriptorum testimonia proferre, qui non modo Augustianis verum etiam Constantinianis temporibus litteris graecis floruerint, quaeso a te, qui hunc libellum evolvere patiaris, ut mihi des hanc veniam, accommodatam materiae, ut rerum ordinem perturbare videar. Hujus enim scribendi rationis facilis est defensio; quam paucis proloquar. Nam ut ars gymnastica, quoniam e corporis motibus constat ne innumerabilibus quidem sed certe paucis, paululum tempore mutatur, ita ars saltandi, quae, Platonis auctoritate, gymnasticae pars est, eadem fere fuit, si membrorum exercitationes spectas, Xenophontis atque Libanii temporibus. Neque id mirum : nam qui fieri possit ut antiquus saltator aliter, aliter recentior tum gradum faciat, tum in vestigio stet, tum pedem aut manum proferat, attollat, demittat, tum corporis motu prono, obliquo, supino utatur, tum jactet caput, nunc saltus det, nunc fiat turbo? Ut movendi rationem non aliam Periclis temporibus exstitisse atque nostra hac aetate haud immerito dixeris. Itaque non solum Homero proxime Nonnum, Aristoteli Eustathium, exempli causa posui, sed etiam mihi sumpsi ut nonnulla verba, annotationis gratia, gallice redderem, quae, quoniam apud Latinos vocabula deessent quibus eadem interpretarer, alio modo non potuissem exculere; nec dubitavi quosdam alterius Libri [1] locos inspiciendos indicare, ut Graecorum et*

1. ESSAI SUR L'ORCHESTIQUE GRECQUE. *Étude de ses mouvements d'après les Monuments Figurés.*

*nostrorum saltatorum motus in collationem deducerentur.*

*Quod si quis me reprehendat quod de scaenicis saltatoribus, qui primas apud Graecos tenerent, non amplius egerim, id excusationis afferam quod, theatri orchestra nondum a diligentissimis investigatoribus antiquitatis restituta, de tragici aut comici Chori instructione conjecturam facere non ausus sim.*

# Thesis

### a

Constat omnis graeca saltatio cum e corporis Motibus proprie gymnasticis, quae φοραὶ dicunt, tum ex Habitibus quibusdam, ad rerum imitationem pertinentibus, quae vocant σχήματα.

### b

Pueros ephebosque in palaestris ac gymnasiis Motus (φοραί) docet magister ille qui παιδοτρίβης appellatur, cujus partes sunt discipuli corpus exercere (τὸ σῶμα γυμνάζειν).

### c

Quos Motibus instructos alter praeceptor, ὀρχηστοδιδάσκαλος dictus, ad verbum scilicet Saltandi Magister, extra palaestram ad Habitus instituit, quibus saltator vocem tum sequitur, tum simulat (μίμησις τῶν λεγομένων σχήμασι γενομένη. Plato, *Leges*, 816, a).

# Conspectus libelli

## PARS PRIMA

## De Artis Saltandi elementis

### I

Saltationem e corporis motibus (φοραί) et habitibus (σχήματα) constare.

### II

Artem saltandi partem esse gymnasticae artis.

## III

Duos gradus esse in arte saltandi : cum γυμναστικὰς tum μιμητικὰς saltationes.

## IV

A ludi magistro (παιδοτρίβης) saltationis motus (φοραί) pueros doceri.

## V

Gymnasticae artis elementa, φοραί, σχήματα, μέτρα, artis saltandi elementis finitima esse.

## PARS SECUNDA

# De Motibus

## VI

Quos motus (φοραί) discipulos doceat palaestricus magister (παιδοτρίβης).

## VII

Crurum pedumque Φοραί.

## VIII

Brachiorum manuumque Φοραί. — Χειρονομία.

## IX

Corporis Φοραί.

## IX bis

De motibus κυβιστητῆρι propriis.

## X

Capitis Φοραί.

## XI

Quid sit incessus (πορεία) et quid status pedis.

## XII

De motibus quibus salitur : ὄρχησις ἀερία.

## XIII

De motibus quibus volvitur : ὄρχησις ἑλικώδης.

## XIV

De saltationibus armatis quas pueros palaestricus magister docet.

PARS TERTIA

# De Habitibus

## XV

Quid discipulus docendus sit postquam apud παιδοτρίβην saltatorios motus didicerit.

## XVI

De saltandi magistro (ὀρχηστοδιδάσκαλος) et habitibus (σχήματα).

## XVII

Quomodo habitus (σχήματα) cum motibus (φοραί) coeant.

## XVIII

Unde σχήματα originem trahant et quam multa sint.

## XIX

Habitus, sicut motus, numeris adstringi.

## XX

De chori magistro (χοροδιδάσκαλος) et choricis dispositionibus.

*A*. Chorus in quo συγχορευταὶ manus implicant.
*B*. Chori in quibus συγχορευταὶ separatim moventur.
*C*. Chori in quibus συγχορευταὶ orbiculatim moventur.

## XXI

An omnes chori saltatores eodem tempore eosdem motus et habitus edant.

## XXII

De perfecto saltatore. [Conclusio].

## APPENDIX

Quid sit δεῖξις.

PARS PRIMA

# De Artis Saltandi elementis

# Errata

| | | |
|---|---|---|
| Page 3, ligne 7. | AU LIEU DE : | eorumdem, LISEZ : eorundem |
| — 8, — 21. | — | (γυμνασιάρχης), LISEZ : (γυμνασίαρχος) |
| — 17, — 24. | — | ἐλεύθερον, LISEZ : ἐλεύθερον· |
| — 17, — 27. | — | ἐκτάσεως καὶ ἀποδιδομένης ἑκάστοις αὐτοῖς αὐτῶν εὐρύθμου, LISEZ : ἐκτάσεως ἀποδιδοῦσα ἑκάστοις αὐτοῖς αὐτῶν, εὐρύθμου |
| — 18, — 1. | — | κινήσεως, διασπειρομένης, LISEZ : κινήσεως διασπειρομένης |
| — 21, titre. | — | φοραί σχήματα, LISEZ : φοραί, σχήματα, |
| — 22, note 64. | — | *Convivium*, LISEZ : *Convivalia Problemata*, |
| — 23, ligne 9. | — | ἀγκονίζειν, LISEZ : ἀγκοινίζειν, |
| — 32, — 12. | — | πρώτη δέ εὕρηται, LISEZ : προτέρα δ'εὕρηται |
| — 32, note 1. | — | 630, b., LISEZ : 630, c. |
| — 35, ligne 17. | — | (saltando ?), LISEZ : (saliendo ?) |
| — 41, — 24. | — | *Thesmophoria*, LISEZ : *Lysistrata*, |
| — 42, note 26. | — | 529, f., LISEZ : 530, b. |
| — 43, ligne 4. | — | τοὸς, LISEZ : τοὺς |
| — 48, — 8. | — | πορήορος, LISEZ : παρήορος |
| — 51, — 16. | — | (ibidem), LISEZ : (ibidem, 10, 241) |
| — 57, — 18. | — | ορμᾶν, LISEZ : ὁρμᾶν |
| — 64, note 67. | — | Orphica, 31, LISEZ : Orphica, 38, |
| — 69, ligne 1. | — | πα δοτρίβου, LISEZ : παιδοτρίβου |
| — 70, — 16. | — | 629, f., LISEZ : 631, d ; |
| — 71, — 17. | — | 631, a), LISEZ : 629, d) |
| — 71, — 20. | — | 628, c) ; LISEZ : 628, d) ; |
| — 73, note 9. | — | Quem breviter vocat, LISEZ : Quem breviter Plato vocat |
| — 74, ligne 7. | — | ἐποιουν, LISEZ : ἐποίουν |
| — 79, — 24. | — | Phoenissae, LISEZ : *Phoenissae* |
| — 80, — 4. | — | τι, LISEZ : τε. |
| — 91, — 9. | — | σκιστᾶν, LISEZ : σκιρτᾶν |
| — 91, — 19. | — | moveantur [61], LISEZ : moveantur [62]. |
| — 91, note 61. | — | *Deipnosophistae*, 15, c), LISEZ : *Deipnosophistae*, 15, d, ex recens. Dindorfii, 1827 . |

# De Artis Saltandi elementis

## I

### **Saltationem e corporis motibus** (φοραί) **et habitibus** (σχήματα) **constare.**

A nonnullis scriptoribus graecis, qui apud nos auctoritate plurimum valent, — Platonem enim ac Xenophontem dico et Plutarchum, — artem saltandi constare accepimus cum e corporis motibus tum ex habitibus quibusdam, quae φορὰς et σχήματα Graeci vocant. Hoc autem nostra magni refert ut harum rerum discrimen quale sit et quantum plane cognoscamus, cum unaquaque graeca saltatio, eorumdem scriptorum consensu, *motus* simul atque *habitus* evocaret [1].

1. Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 9, 15.

Corporis motus, qui φοραὶ vel κινήσεις dicuntur, pares ac similes sunt exercitationibus[2] illis quibus pueri in palaestris, athletae in gymnasiis, gymnasiarcho duce, utebantur. Etenim apud Platonem legimus plerosque (τὸ πλεῖστον μέρος) corporis motus saltationibus inesse; qui cruribus pedibusque, brachiis ac manibus, trunco, capite ita efficiuntur ut easdem partes paulatim molliant et flectant articulos[3]. Ne mireris igitur Socratem si, Xenophontis testimonio, quendam saltatorem magnopere laudaverit quod in ipsa saltatione nulla pars corporis otiosa esset sed simul et collum et crura et manus exercerentur : ὅτι οὐδὲν ἀργὸν τοῦ σώματος ἐν τῇ ὀρχήσει ἦν, ἅμα καὶ τράχηλος καὶ σκέλη καὶ χεῖρες ἐγυμνάζοντο, ὥσπερ χρὴ ὀρχεῖσθαι τὸν μέλλοντα εὐφορώτερον τὸ σῶμα ἕξειν[4]. Ab Athenaeo accepimus eundem Socratem, qui libens saltationi indulgeret, consuetudinis rationem amicis probavisse, dicentem se, quotiescumque saltaret, singula membra exercere[5]. Quae cum ita sint, in quemlibet saltatorem haec verba cadunt quae Xenophon, in Convivio, de quodam saltatore scripsit : ἴει ἅμα πάντα, καὶ σκέλη καὶ χεῖρας καὶ κεφαλήν, — ἅπαν τὸ σῶμα ἐγύμναζεν[6]. Totius enim corporis labor hoc spectabat ut corpus totum robore bene partito polleret.

Motus autem (φοραί) non modo alii ab aliis separandi

---

2. γυμνάσια διαπονήματα. Plato, *Leges*, 813, d.
3. ὑγρὸν εἶναι. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22.
4. Xenophon, *Convivium*, 2, 15.
5. παντὸς εἶναι μέλους τὴν ὄρχησιν γυμνάσιον. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 20, f.
6. Xenophon, *Convivium*, 2, 22.

sunt[7], sed etiam, si Plutarchi fides, quibusdam intervallis vel remissionibus sejungendi, ut uniuscujusque motus finis spectantibus appareat[8].

Facilis est corporis motuum et habituum distinctio. Etenim cum *motus* (φοραί) nihil nisi membrorum agilitatem declarant, tum *habitus* (σχήματα) in quos motus desinunt, corporis dispositiones sunt quae res imitatione significant, ut si saltator Apollinis aut Panis aut alicujus Bacchae speciem (σχῆμα) exprimere conetur, immobilis tanquam pictus in tabula[9]. Quo concesso, argumentum saltationis saltator habitibus enucleat[10], quos, quemadmodum sibi placet et prout actio saltatoria desiderat, solet variare. Itaque motus (φοραί), quia nihil imitantur nec ostendunt, pulchri aut mali esse non dicuntur; habitus vero (σχήματα) laudabiles habentur vel turpes (καλά, αἰσχρά), quoniam, ut Plato docet, imitatione saltator pulcherrimas formas effingere potest, vel deterrimas[11]. Hoc quoque inter φορὰς et σχήματα interest quod, cum φοραὶ natura sunt fugaces aliaeque ex aliis

---

7. ὀρχεῖσθαι φορὰν παρὰ φοράν. Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 9, 15.

8. αἱ μοναί εἰσι πέρατα τῶν κινήσεων. Ibidem.

9. σχήματα... σχέσεις... εἰς ἃς φερόμεναι τελευτῶσιν αἱ κινήσεις, ὅταν Ἀπόλλωνος ἢ Πᾶνος ἤ τινος Βάκχης σχῆμα διαθέντες ἐπὶ τοῦ σώματος γραφικῶς τοῖς εἴδεσιν ἐπιμένωσι. Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 9, 15.

10. [ὁ ὀρχηστὴς] διά τῶν σχημάτων παιδεύει τὸν θεατὴν αἱρεῖν τὸ πρᾶγμα. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24.

11. τὴν μὲν τῶν καλλιόνων σωμάτων ἐπὶ τὸ σεμνὸν μιμουμένην [ὄρχησιν], τὴν δὲ τῶν αἰσχιόνων ἐπὶ τὸ φαῦλον. Plato, *Leges*, 814, e.

oriuntur, tum σχήματα, quibus formam speciemque saltator imitatur [12], quoddam habent spatium temporis atque, si res ita fert, immobilia fieri possunt [13].

Imitationis enim (μίμησις) omnis graeca saltatio ita est particeps ut, etiam citra verba, sine voce intellegatur atque afficiat. Atque hoc animadvertendum est saltatorem, non modo vultus mutatione sed membrorum quoque ac totius corporis motibus, animi motus declarare. Saltatio enim, ut gravissimis scriptoribus placet, est quasi sermo corporis qui hanc vim habet ut signis mutis laetitiam, maestitiam, amorem, odium patefaciat et sensum quemvis. Inde patet Aristotelem nulla verborum translatione usum esse cum haec scripsit : [οἱ ὀρχησταὶ] διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμοῦνται καὶ ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις [14]. Ad summum igitur perduci potest ars saltandi et plane absoluta fieri ea sola condicione ut, per σχήματα, ad imitandum accommodetur et ea, quae imitabitur, ad verbum reddat [15].

Quae jam fuerit, Aeschyli temporibus, pars imitationis in saltatione, id Chamaeleon, apud Athenaeum, notum nobis fecit. A quo accepimus Aeschylum ipsum instruxisse choros et nullis usum esse saltandi magistris; et σχήματα scenicos docuisse, in se ipsum recipientem omnino uni-

---

12. τὸ σχῆμα μιμητικόν ἐστι μορφῆς καὶ ἰδέας. Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 9, 15.

13. τελευτῶσι δὲ [οἱ ὀρχησταὶ] εἰς ἀκίνητον στάσιν...., μετὰ δὲ τῆς στασέως ἡ εἰκὼν ἀπαντᾷ. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24.

14. Aristoteles, *Poetica*, 1.

15. μίμησις τῶν λεγομένων σχήμασι γενομένη τὴν ὀρχηστικὴν ἐξειργάσατο τέχνην ξύμπασαν. Plato, *Leges*, 816, a.

versam administrationem fabulae [16]. Sit igitur non dubium quin φοραὶ et σχήματα ita conjuncte cohaereant ut, non dicam separari, sed ne secerni quidem possint. Exemplo utar hoc in sublime saltu (ἐκπήδησις ἐν ὕψει), graecis saltatoribus frequentissime usitato; qui, quanquam natura *motus* est (φορά), fit *habitus*, si in partem veniat Pyrrhicae, atque, ut graece loquar, γίγνεται κίνημα σχηματιζόμενον τῆς πολεμικῆς ὀρχήσεως [17]. Altero exemplo sit illa laterum supinitas (τὸ ὄπισθεν κάμπτεσθαι [18]) qua gymnasii magister corpus discipuli exercere solet [19]; quae si in saltationes ad orgia celebranda pertinentes immittetur, non jam motus (φορά) dicenda erit sed in habitum (σχῆμα) ac quandam imitationem (μίμησις) mutabitur. Saltator enim hominum sermones ac sensus quibusdam signis imitatur et proprio artificio, sed ut omnium rerum imitator diligens sit non operam dat. Quod si summo studio nonnunquam ad id incumbit ut personas et earum facta tanquam in tabula effingat, atque, per σχήματα, Gratiarum, Horarum, Baccharum aut cujuslibet personae imagines ante oculos spectantium moveat, saepius tamen satis habet argumentum saltationis declarare per φορὰς tum tardiores, tum celeriores, nunc venustas, nunc vehementes; ut motus ejus ad rei sensum magis quam ad rem ipsam accommodati esse videantur.

Sed inter motus et habitus, seu inter φορὰς et σχήματα, quamvis semper artissime conjungantur atque interdum, ut

---

16. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 21, e.
17. Cf. Aristoteles, *Poetica*, 1 : σχηματιζόμενοι ῥυθμοί....
18. Xenophon, *Convivium*, 2, 21.
19. Vide infra, Pars secunda, IX.

supra dixi, utrique in alteros se vertant, hoc tamen interest quod φοραὶ partes sunt gymnasticae, σχήματα mimicae artis. Itaque pueri, cum omnes, in palaestris, a ludi magistro (παιδοτρίβης) aut ejusdem adjutoribus, saltationis motus (φοραί) simul ac varias gymnasticas exercitationes docebantur, tum ii solum qui saltatores perfecti fieri cupiebant, extra palaestram studebant habitibus (σχήματα), saltandi magistro (ὀρχηστοδιδάσκαλος) duce, cujus disciplinae se credebant.

# II

## Artem saltandi partem esse gymnasticae artis.

Puerilem disciplinam apud Graecos, qualis fuerit et a quibus magistris regeretur, cum scriptorum testimonio, tum lapidibus quibus inscribebantur acta publica, satis cognitam habemus. Quae, etsi pro temporibus et prout cuique provinciae mos erat, aliter atque aliter exstitit, non minus ad firmanda corpora constanter pertinuit quam ad excolendos animos; ut, apud Graecos, artis gymnasticae laus tanta semper fuerit quanta optimarum artium. Qua arte in palaestris (ἡ παλαίστρα) a ludi magistro (παιδοτρίβης) erudiebantur pueri, ea quoque in gymnasiis (τὸ γυμνάσιον) ephebi simul atque athletae, duce gymnasiarcho (γυμνασιάρχης) se exercebant. Etenim una erat omnium Graecorum

sententia, imprimis ali posse corporis vires illis exercitationibus e quibus πένταθλον constabat[20]. Pentathli autem ludis adduntur pugilatus et pancratium (ἡ πυγμή, τὸ παγκράτιον) quae sunt luctationis modi, pugna quae fit armis (ἡ ὁπλομαχία), ars equitandi (ἡ ἱππική). Additur quoque ars saltandi.

Apud Platonem enim legimus cum gymnasticam artem ex omnibus iis artibus constare quae ad corpus confirmandum aut exornandum spectent, tum musicam animum fingere[21]; duas autem esse partes gymnasticae artis, saltationem et luctationem[22], quarum utraque eodem pertineat, scilicet ad augendas vires; ut, corpore vigente, habitet animus ubi se non male habeat; musicam quidem, si disciplinae puerilis pars melior sit[23], quoniam discernere et diligere verum bonumque pueros doceat, parum tamen valere nisi arte gymnastica adjutrice utatur[24]; quibus igitur in artibus, cum arta cognatione inter se contineantur, pueros pariter esse versandos, ut, musicae praeceptis gymnasticisque exercitationibus conformati, perfecte sapientes evadant; sapientiam enim eos solum consecuturos esse quorum animus corpusque inter se ita concinant ut, cum mens e

---

20. Erant autem *cursus* (ὁ δρόμος), *saltus* (τὸ ἅλμα), *luctatio* (ἡ πάλη), *disci jactus* (ὁ δίσκος), *jaculi tractatio* (τὸ ἀκόντιον).

21. τὰ ὅσα περὶ τὸ σῶμα γυμναστικῆς, τὰ δ᾽εὐψυχίας χάριν μουσικῆς. Plato, *Leges*, 795, d.

22. τὰ δὲ γυμναστικῆς δύο, τὸ μὲν ὄρχησις, τὸ δὲ πάλη. Ibidem.

23. κυριωτάτη ἐν μουσικῇ τροφή. Plato, *Leges*, 401, d.

24. μετὰ δὴ μουσικὴν γυμναστικῇ θρεπτέοι οἱ νεανίαι. Plato, *Leges*, 403, c; — ἆρ᾽ οὖν ἡ βελτίστη γυμναστικὴ ἀδελφή τις ἂν εἴη τῆς μουσικῆς. Ibidem.

sua sede et statu demoveri non possit, tum corpus animi perturbationibus non doleat; inde effici ut vir liberaliter educatus, cum in musicae disciplina doctus tum omnibus ludis gymnasticis exercitatus exstare debeat; oportere enim eum non modo ῥυθμὸν et ἁρμονίαν [25] pernoscere, quibus εὐλογίαν, εὐαρμοστίαν, εὐσχημοσύνην, εὐρυθμίαν [26], uno verbo εὐήθειαν [26], assequatur, verum etiam γυμνάσια διαπονήματα [27] non neglegere, quibus efficiatur εὐκινησία, εὐεξία, ὑγίεια [28].

Ars gymnastica, cujus pars est, Platonis testimonio, ars saltandi, ab eodem eo rectius musicae germana esse dicitur quod a musica mutuatur numeros. Moderatur enim tibicen (ὁ αὐλητής) non minus exercitationes, quae proprie γυμνικαὶ vocantur [29], quam saltatorios motus, atque, ut pugilem ac cursorem ita pyrrichistam aut Bacchi famulum aut quemvis saltatorem regit eisque dat modos, ut temporum legem certam servent et ad numeros se moveant. Quod si inter omnes scriptores graecos convenit omnibus corporis exercitationibus, cum γυμνικαῖς tum ὀρχηστικαῖς, musicos numeros accommodari, id quoque ex imaginibus pictis vel fictis apparet quae ad nos pervenerunt; ut non habeamus quod miremur si artem saltandi cum arte gymnastica sociare Platoni libeat, easdemque ita conjungere ut artes illae, prae-

25. Plato, *Leges*, 653, 654.
26. Plato, *Politica*, 400, d.
27. Plato, *Leges*, 813, d.
28. Plato, *Leges*, 796, a.
29. Cursum dico, saltum, luctationem, cetera.

senti opinione dispares, ejus auctoritate sint unum [30]. Quas, cum similiter numeris vinciantur, pariter valere Plato censet ad instillandam in animos illam Eurythmiam, quam ut adipiscantur omni ope atque opera eniti omnes homines debent.

# III

## Duos gradus esse in arte saltandi : cum γυμναστικὰς tum μιμητικὰς saltationes.

E Platonicis scriptis intellegitur omnes graecas saltationes non ejusdem generis esse ; quarum aliae, γυμναστικαὶ ὀρχήσεις, eo pertinent ut omnium artuum flexionibus extensionibusque corporis agilitatem, bonum habitum, pulchritudinem perficiant [31], atque a ludis gymnasticis neque forma neque fine differant. Aliae vero, μιμητικαὶ ὀρχήσεις, Musae dictionem imitantur, ut Platonis verbis utar [31], et ita ad

---

30. τὰ τοῦ σώματος ἃ παιζόντων ὄρχησιν εἴπομεν, ἐὰν μέχρι τῆς τοῦ σώματος ἀρετῆς ἡ τοιαύτη κίνησις γίγνηται, τὴν ἔντεχνον ἀγωγὴν ἐπὶ τὸ τοιοῦτον αὐτοῦ γυμναστικὴν προσείπομεν. Plato, *Leges*, 673, a.

ταύτης ἀρχὴ μὲν τῆς παιδιᾶς τὸ κατὰ φύσιν πηδᾶν εἰθίσθαι πᾶν ζῷον, τὸ δὲ ἀνθρώπινον, ὡς ἔφαμεν, αἴσθησιν λαβὸν τοῦ ῥυθμοῦ ἐγέννησέ τε ὄρχησιν καὶ ἔτεκε. Ibidem, 673, d.

31. Plato, *Leges*, 795, e.

poetarum verba accommodantur ut gestu pleraque significent; quibus insunt omnes motus (φοραί) e quibus γυμναστικαὶ ὀρχήσεις constant, sed iidem motus, quia ad imitationem aptantur, in alias atque alias formas transeunt ut signa fiant et vere mentis interpretes. Ex quo efficitur γυμναστικὰς ὀρχήσεις primum artis saltandi gradum esse et quasi vias ad μιμητικὰς ὀρχήσεις, quae absolutae saltationes sunt, quod, non modo ad confirmandum corpus multum habent momenti, sed etiam animi sunt indices. Quid plura? Cum ex motibus (φοραί) solis γυμναστικαὶ ὀρχήσεις constent, tum μιμητικαὶ ὀρχήσεις, scilicet perfectae saltationes, e motibus et habitibus (σχήματα) oriuntur quam artissime permixtis.

Sapiens ille Socrates, etsi σχήματα saltationis nesciebat, libens tamen indulgebat ὀρχήσεσι γυμναστικαῖς, ut a Xenophonte traditum est. Apud quem legimus Socratem, postquam eum Charmides mane saltantem deprehenderat et vix sanae mentis existimaverat, patronum saltationis tam disertum se prodidisse ut Charmidem ipsum ad cottidie saltandum induxerit. Socrates idem, cum paulo post apud Calliam cenaret et amicis comissantibus moveret risum quod saltationis habitus (σχήματα) discendi esse cupidum se profiteretur, ita quid de saltatione sentiret significavit : « nihil aptius esse quam saltationis exercitationes ad valetudinem sustentandam, incitandam aviditatem, somnum arcessendum; easdemque mirabiliter corrigere obesitatem, si forte venter promineat, et vires toti corpori aequaliter suppeditare; ut, si quis saltationi assuescat et saltatoriis motibus singulas quasque corporis partes frequenter agitet ac composite, vitia quae propria sint athletarum effugiat : compacta crura umerosque exiles cursorum, exilia crura, latiores

pugilum umeros. Hinc effici ut cuique sua domus sufficiat ubi saltando valetudini consulere possit, nedum publico Gymnasio sit opus. Etenim esse ridiculum si quis nudatus senex spectaculo civibus detur, cui conclave septem lectulorum capax satis sit ad tripudiandum [32] ». Quibus e verbis magis illustria fiunt quae de saltatione scripsit Athenaeus : παντὸς εἶναι μέλους τὴν ὄρχησιν γυμνάσιον. ἔταττον γὰρ τὸ ὀρχεῖσθαι ἐπὶ τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἐρεθίζεσθαι [33].

Cum autem scriptorum consensu, quos commemoravi, et Socratis testimonio, *motus* et *habitus* (φοραί, σχήματα) non uno eodemque tempore saltator doceretur, quaerendum esse mihi visum est fuerintne apud Graecos duo Saltandi Magistri an unus tantum fuerit. Sic est propositum de quo disputaturi sumus.

# IV

## A ludi magistro (παιδοτρίβης) saltationis motus (φοραί) pueros doceri.

Magister ille, quem Graeci παιδοτρίβην vocant, — quo γυμναστὴν et nonnunquam ἀλείπτην haud facile dignoscere possumus, — eam provinciam habet ut omnibus corporis

---

32. Xenophon, *Convivium*, 2, passim.
33. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 21, a.

exercitationibus [34] praesit, quibus pueri ephebique, cum in palaestra, tum in gymnasio, se dedere solent. Quare artem, quam παιδοτριβικὴν appellant, multa complecti et gymnastica latiorem esse dicit Isocrates hoc loco : περὶ τὰ σώματα τὴν παιδοτριβικὴν ἧς ἡ γυμναστικὴ μέρος ἐστί [35]. Discipulos enim παιδοτρίβης docet quicquid ad vires augendas, firmandam valetudinem, ornandum corpus valet ; quem tametsi non necesse est medicinam penitus excolere, eum tamen illius partis medicinae imbutum esse volunt qua morbis mederi et sanare vulnera possit. Peritissimus enim esse debet in aptandis discipulorum exercitationibus aetati viribusque [36], atque curam adhibet ut, non modo discipulis, antequam pubescant, nullus corporis labor immodicus [37] injungatur, quo crescentibus noceretur pueris, verum etiam exercitationis cujusque intermissio fiat priusquam discipuli, ut pueri ita puberes (ἔφηβοι), lassitudine conficiantur [38]. Qui, omissa hac cura, summo periculo gymnasticis exercitationibus utentur, nedum easdem ad utilitatem transferant.

Puerorum igitur ille magister, quem Graeci παιδοτρίβην vocant, simul discipulos docet et moderatur. Quem in palaestra stantem nobis fingere debemus qualem in fictilibus vasis pinxerunt artifices, amplo pallio (ἱμάτιον) involutum, bifurcam virgulam baculumve nodosum, auctoritatis

---

34. τὰ ὅσα περὶ τὸ σῶμα. Plato, *Leges*, 795, d.
35. Isocrates, περὶ ἀντιδόσεως, 181.
36. σύμμετροι πόνοι. Isocrates, *ad Demonicum*, 4, c.
37. οἱ πρὸς ἀνάγκην πόνοι. Aristoteles, *Politica*, 8, 4, 1.
38. λήγειν τῶν πόνων ἔτι πονεῖν δυνάμενος. Isocrates, *ad Demonicum*, 4, e.

insignia, manu habentem, tum pueros ludere jubentem, tum disceptantem inter eos qui ludunt, tum etiam virgula luctatores dirimentem.

Motus autem saltationis, quoniam, scriptorum testimonio, nihilo minus quam luctationis ceterarumque exercitationum motus ad bonam habitudinem et agilitatem ac pulchritudinem totius corporis plurimum valeant [39], ad partes ejusdem magistri pertinere mihi videntur, cui mandatur ut pueros gymnasticam artem doceat; παιδοτρίβην dico. Quod exemplis comprobare promptum est. Quorum hoc apertissimum sumpsisse mihi videor a quodam calice (κύλιξ), Cimonis aetate pictis imaginibus ornato [40], in quo artifex effinxit una magistrum discipulumque, hunc ad tibiae modos saltantem, illum inflantem tibiam. Musicum vero qui sit et quomodo nominetur sine controversia cognoscimus : παιδοτρίβην enim facit conspicuum bifurca virgula, in transversum depicta, de qua saccus pendet ornamentis distinctus, in quo tibiarum ligulae includuntur. Personam igitur utramque, intra palaestrae vel gymnasii parietes, saltationi operam dantem animo cernamus : magistrum, (παιδοτρίβης) tibia numeros moderantem; discipulum, passis brachiis et in latum inclinato capite, uno pede stantem.

Quod hoc Plutarchi loco confirmatur : ἀπεδείχθη δὲ κριτὴς μετὰ Μενίσκου τοῦ παιδοτρίβου Λαμπρίας ὁ ἀδελφός· ὠρχήσατο

39. [τῆς ὀρχήσεως ἄλλη μὲν....] ἄλλη δὲ εὐεξίας ἐλαφρότητός τε ἕνεκα καὶ κάλλους τῶν τοῦ σώματος αὐτοῦ μελῶν καὶ μερῶν... Plato, *Leges*, 795, e.

40. Simulacrum inest libri hujus fronti.

γὰρ πιθανῶς τὴν πυῤῥίχην καὶ χειρονομῶν ἐν ταῖς παλαίστραις ἐδόκει διαφέρειν τῶν παίδων [41]. Chironomia enim (χειρονομία), de qua pauca infra dicam, pars est gymnasticae simul ac saltandi artis; ut in promptu sit, ex hoc Plutarchi loco, palaestricum magistrum (παιδοτρίβης) cum saltatorios motus pueros docere, tum arbitrum eligi saltationis.

Praeterea testatur Libanius, — quem sequemur quanquam recentior scripsit [42], — a gymnasiarcho (γυμναστὴς seu παιδοτρίβης) discipuli membra sic conformari et molliri ut pueri, antequam saltandi magistro tradantur (διδάσκαλος, ὀρχηστοδιδάσκαλος) ad omnem imitationem paratum habeant corpus atque ad omnes habitus (σχήματα) accommodatum : τοιοῦτον μὲν ὁ γυμναστὴς τῷ διδασκάλῳ παρασκευάσει τὸ σῶμα, λαβῶν δ'ἐκεῖνος εὐπειθῆ τῶν μελῶν τὴν ἁρμονίαν εἰς ἅπαντος σχήματος καταστήσει μίμησιν [43]. Etenim saltatorem oportet, quemadmodum magistro placeat atque ut postulet res, corpus mutare et parum abesse quin Proteus sit [44]. Quod ut fiat, gymnasii magister (παιδοτρίβης) variis exercitationibus praeest, quarum quasdam haud sine periculo perficiunt discipuli, ut illum ludum quem κύκλον seu τρόχον vocant, de quo pauca Xenophon, plurima Libanius exposuit.

Locum autem ex Libanio, tametsi ad romanum mimum potiusquam ad graecum saltatorem pertinet, laudare non

---

41. Plutarchus, *Convivium*, 9, 15.

42. Libanius, saeculo quarto post Christum natum, Antiochiae florebat eloquentia.

43. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22.

44. μεταπίπτοντος [ὀρχηστοῦ] εἰς ὅ τι βούλει τοῦ σώματος. Πρωτεὺς Αἰγύπτιος μικροῦ τούτων ἕκαστος. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24.

dubitabo, cum scriptorum testimonio uterque saltator, Socratis atque Constantini temporibus, motibus iisdem usus sit, ad artem instituendus : δεῖ τὸν παῖδα δηλοῦν ὡς ὕψους μὲν ἐφίξεται μετρίου, πολυσαρκίας δὲ οὐκ ἅψεται. δεῖ δὲ αὐτῷ καὶ αὐχένος ὀρθοῦ καὶ βλέμματος οὐχ ὑπτίου καὶ δακτύλων εὖ πεφυκότων καὶ ὅλως κάλλους, ὃ πλεῖστον ἐν τοῖς τῶν θεῶν πράγμασι, μάλιστα δὲ μεταληπτέον ὀρχηστῇ. παραλαβὼν δὲ αὐτὸν ὁ παιδοτρίβης εἰς πλείους καὶ θαυμασιωτέρας καμπὰς ἢ τὸν παλαιστὴν περιάξει ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀνάγων ὑπὲρ τῶν νώτων τὼ πόδε καὶ πρός γε ἔτι προκύπτειν τοῦ προσώπου καταναγκάζων, ὥστε τὰς πτέρνας τοῖς ἀγκῶσι πελάζειν. ἐπειδὰν δὲ ἐργάσηται τὸ σῶμα κύκλον, ὥσπερ τινὰ λύγον, κινεῖ πρὸς δρόμον, οἷα τροχὸν, τὸ δὲ θεῖ, καὶ τοῖς μέλεσιν ὁ δρόμος οὐ γίνεται βλάβη· πάλαι γὰρ δὴ πεπαίδευται τούτων ἕκαστον ὑγρὸν εἶναι, μικροῦ διοικίζοντος ἀπ' ἀλλήλων τοῦ παιδοτρίβου τὰ μέλη καὶ τὰς συμβολὰς τηροῦντος τε αὐτοῖς ὁμοῦ καὶ διιστάντος, ὥστε καὶ χεῖρας καὶ πόδας, ὅποι τις ἂν ἄγῃ τοῦ λοιποῦ σώματος, ἀκολουθεῖν, ὥσπερ οἶμαι κηροῦ φύσιν. τοιοῦτον μὲν ὁ γυμναστὴς τῷ διδασκάλῳ παρασκευάσει τὸ σῶμα [45].....

Hoc autem nostra maxime refert ut locos quoque ex Platonicis Legibus et Xenophonteo Convivio afferamus, quos quivis legentium Libanii loco supra laudato conferre possit.

Ex Platonis Legibus : τῆς ὀρχήσεως ἄλλη μὲν Μούσης λέξιν μιμουμένων, τό τε μεγαλοπρεπὲς φυλάττοντας ἅμα καὶ ἐλεύθερον, ἄλλη δὲ εὐεξίας ἐλαφρότητός τε ἕνεκα καὶ κάλλους τῶν τοῦ σώματος αὐτοῦ μελῶν καὶ μερῶν, τὸ προσῆκον καμπῆς τε καὶ ἐκτάσεως καὶ ἀποδιδομένης ἑκάστοις αὐτοῖς αὐτῶν εὐρύθμου

---

45. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22.

κινήσεως, διασπειρομένης ἅμα καὶ ξυνακολουθούσης εἰς πᾶσαν τὴν ὄρχησιν ἱκανῶς [46].

E Xenophontis Convivio : ἡ παῖς εἰς τοὔπισθεν καμπτομένη τροχοὺς ἐμιμεῖτο, ἐκεῖνος ταῦτα εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπικύπτων μιμεῖσθαι τροχοὺς ἐπειρᾶτο [47].

Attamen animadvertendum est, exercitationes nimium laboriosas, Platonis Aristotelisque consensu, pueris vitandas esse [37,38]. Adde huc quod Xenophon ipse, postquam de saltatoribus imitantibus τροχοὺς mentionem fecit, nimiam eorum contentionem molestam esse spectantibus fatetur : οὐδὲ μὴν τό γε διαστρέφοντας τὰ σώματα καὶ τροχοὺς μιμουμένους ἥδιον ἢ ἡσυχίαν ἔχοντας τοὺς καλοὺς καὶ ὡραίους θεωρεῖν.

At saltem ex his exemplis, nisi fallor, intellegi potest pueros a gymnasiarcho (παιδοτρίβης) eadem ratione iisdemque motibus, Platonis aetate haud secus ac Libanii, ad artem saltandi informatos esse.

Satis constat pueros in palaestris Pyrrichae [48] et Chironomiae exercitationibus institutos esse, quarum altera inter saltationes praestantissima ducebatur, altera nihilo minus athletae quam saltatori erat necessaria.

Pyrricha autem (ἡ πυῤῥίχη) cum in Spartanis Γυμνοπαιδίαις pars fuit maxima [49], tum Panathenaicorum certaminibus

---

46. Plato, *Leges*, 795, e.
47. Xenophon, *Convivium*, 2, 21.
48. Cf. Plato, *Leges*, 796; 803, e; 833-4. Testantur quoque fictilia vasa, ornata pictis imaginibus.
49. Pyrricha utebantur Lacedaemonii ut belli comparatione : προγύμνασμα τοῦ πολέμου. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 631, a.

adjuncta est et Atheniensibus notissima fuit, quibus etiam belli comparatio facta est [50]. Quae, quoniam imitatione motus effingebat quibus pugnantes ictus adversos cavent et in hostes irruunt, imprimisque constabat ex militaribus exercitiis, cecidit, ut similius veri est, in hoplomachi [51] (ὁπλομάχος) provinciam, a quo docebantur ephebi armorum tractationem.

In palaestris itidem Chironomiae (ἡ Χειρονομία) indulgebant pueri, ut apparet ex hoc Plutarchi loco : ὠρχήσατο γὰρ [Λαμπρίας] τὴν πυῤῥίχην καὶ χειρονομῶν ἐν ταῖς παλαίστραις ἐδόκει διαφέρειν τῶν παίδων [52]. Χειρονομεῖν autem est manus ad modos movere [53], scilicet manibus saltare. Illud est quamobrem Herodoto, de Hippoclide Atheniense dicenti, per abusionem scribere libuerit : τοῖς σκέλεσι ἐχειρονόμησε [54], id est, ut Aristotelis verbis utar : μεταστρέφειν τὴν χεῖρα, καὶ τῷ ποδὶ ὡς χειρὶ καὶ ταύτῃ ὡς ποδὶ χρῆσθαι [55]. Qua Chironomia pueri in palaestris, ea certe in gymnasiis ephebi atque athletae exercebantur, ut, alii saltatores periti, alii robusti luctatores evaderent. Cui rei documento est quidam ex Platone locus quo athletae σκιαμαχοῦντες, — id est cum umbra dimicantes, projectis brachiis, non repugnante

---

50. γυμνάζεσθαι πολέμῳ. Philostratus. *Apollonii Tyanei vita*, 4, 21.
51. Hoplomachus, — imperatoriis temporibus exercitator seu armidoctor appellatus, — unus erat ex adjutoribus gymnasii magistri (παιδοτρίβης).
52. Plutarchus, *Convivium*, 9, 15.
53. ταῖν χεροῖν ἐν ῥυθμῷ κινηθῆναι. Pollux, *Onomasticon*, 2, 153. Cf. Hesychius : χειρονόμος, ὀρχηστής.
54. Herodotus, 6, 129.
55. Aristoteles, *Ethica ad Eudemum*, 7, 13, 2.

adversario, — dicuntur χειρονομεῖν [57]. Manuum igitur motus, cum ad saltationem, tum ad luctationem apti, ad illam Chironomiam pertinent qua instructi omnes debent esse.

Quid autem ex illis efficiatur, quae supra dixerim, paucis facile concludam. Etenim quoniam patet omnes corporis motus, — scilicet crurum pedumque, brachiorum, laterum, capitis motus, — in Pyrricha frequentatos, et in Chironomia omnes manuum gestus usitatos esse, compertum habeo pueros ephebosque, postquam in palaestris ac gymnasiis Pyrricha atque Chironomia exercitati essent, non modo illarum sed etiam fere omnium saltationum motus (φοραί) plane cognitos habuisse. Quippe non infinitus est saltatoriorum motuum numerus, quos eosdem reperias in armatis atque in bacchicis saltationibus; ut a gymnasii magistris (παιδοτρίβης, ὁπλομάχος) paratus fieret discipulus ad discendum apud magistrum saltandi (ὀρχηστοδιδάσκαλος).

Quaedam quidem omitto, quoniam abs re aliena sunt et musica potius quam arte saltandi continentur : numeros (μέτρα) intellegi volo, in quibus pyrrichistae et chironomontes versari debent; locum tamen afferam quo miratur Libanius citissimum quemque motum saltatores ita gubernare et carmini commensurare [58], ut, carmine desinente, una quoque corpus moveri statim desinat confestimque insistat : πότερον δ' ἄν τις αγασθείη μειζόνως τὴν τῆς περιφορᾶς ἐν πλήθει συνέχειαν ἢ τὴν ἐξαίφνης ἐπὶ τούτῳ πάγιον στάσιν ἢ τὸν ἐν τῇ στάσει

56. Plato, *Leges*, 830, c.
57. id est ad modos accommodare.

τηρούμενον τύπον; ὡς μὲν γὰρ ὑπόπτεροι περιάγονται, τελευτῶσι δὲ εἰς ἀκίνητον στάσιν, ὥσπερ κεκολλημένοι,..... πόνος δὲ μείζων ἕτερος συγκαταλῦσαι τῷ ᾄσματι. τοσοῦτος τοῦ μέτρου λόγος ἐν ὀρχησταῖς [58]. Quod summam habet difficultatem, id discipulum docet gymnasii magister : qua ratione numeri a saltatore serventur. Sed hoc in medio relinquam.

# V

## Gymnasticae artis elementa,
## — φοραί σχήματα, μέτρα, —
## artis saltandi elementis finitima esse.

Certiorem te facio, qui haec legas, pentathli et hoplomachi exercitationes a me dici gymnasticas, saltatoris contra exercitationes vocari saltatorias, quanquam utrasque nusquam segregavit Plato et uno nomine semper conjunxit [59].

Gymnasticae autem exercitationes e motibus (φοραί, κινήματα) constant quibusdam, quorum nonnullos proferam ut demonstrentur simillimi saltatoriis motibus esse.

---

58. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24.
59. γυμνάσια διαπονήματα. Plato, *Leges*, 813, d.

### CRURUM GYMNASTICI MOTUS

ἅλλεσθαι [60], πηδᾶν [60], *salire*. De eo qui saltando se exercet dicitur.

λακτίζειν [61] seu λὰξ ἐνάλλεσθαι [61], *calcitrare, calcibus insultare*. De pugile.

πλαγιάζειν [62], *obliquere pedes*. De luctatore.

ἀγκυρίζειν [62], *supplantare*. De luctatore.

ἀποπτερνίζειν [63], *calcibus luctari*. De luctatore.

ὑποσκελίζειν [62], *supposito pede adversarium dejicere* seu cruribus prosternere. De luctatore.

### BRACHIORUM MOTUS

Pugilem constat nullo brachiorum amplexu arripere adversarium et eum modo pugnis lacessere [64]. Unde effici ut pugiles brachia, quantum pateat longitudo, protendant et procerissima jactent. Pugilum autem exercitationes hae sunt :

χειρονομεῖν [65].

σκιαμαχεῖν [65,66], *cum umbra dimicare*.

---

60. Pollux, *Onomasticon*, 3, 151.
61. Pollux, *Onomasticon*, 3, 150.
62. Pollux, *Onomasticon*, 3, 155.
63. Philostratus, 678. (πτερνίζειν *calce ferire* valet.)
64. Plutarchus, *Convivium*, 2, 4, 1.
65. Plato, *Leges*, 830, c. Vide supra, IV.

ἀερίζειν[66] = σκιαμαχεῖν?

ἀκροχειρίζεσθαι[61], *summis tantum colluctari digitis*. Quae lucta proprie ἀκροχειρισμὸς[67] dicitur.

Luctator vero brachia contrahere et flectere solet, nedum projiciat, quibus medium hominem arripere et adversarium constringere, suffocare possit. Quod ex his verbis patet quibus luctatorum motus designantur :

δράσσειν[62], *manu arripere*.

ἀγκονίζειν[62], *ulnis amplecti*.

ἀγκαλίζεσθαι[64,68], *ulnis consertis luctari*.

περιλαμβάνειν[64], *comprehendere*.

συμπλέκεσθαι[64], *implexu brachiorum jungi*. De ambobus adversariis dicitur.

ἀναμίγνυσθαι[64], *brachiorum* [et crurum?] *implicatione commisceri*. De ambobus adversariis.

## LATERUM MOTUS

στρέφειν[62], *corpus dextrorsum aut sinistrorsum vertere*. De luctatore.

πλαγιάζειν[62], *humeros obliquere*[69].

λυγίζειν[62], de luctatore dicitur qui corporis *motu vel*

---

66. Philostratus, *de Arte Gymnastica*, 50; — Pollux, *Onomasticon*, 3, 150, Vide supra, IV.
67. Lucianus, *Lexiphanes*, 5; — Pausanias, 6, 4, 12.
68. Pollux, *Onomasticon*, 3, 149.
69. ÉPAULER; cf. *Essai sur l'Orchestique grecque*, 150.

*prono*[70] *vel supino*[71] *latera flectat.* Unde nomen traxere exercitationes, quos λυγισμοὺς[72] vocant, quibus athletae molliunt corpus.

Similibus autem crurum, brachiorum, laterum motibus saltatores usos fuisse, jam procedente hac oratione, ostendam.

Postquam gymnasii magister (παιδοτρίβης, γυμναστής) motus (φοραί, κινήματα, κινήσεις) discipulos docuit quibus ad varias gymnasticae artis exercitationes fit praeparatio, superest ut eosdem artificia quaedam erudiat athletis usitata[73] : qualia sint luctationis momenta[74], qua ratione impetum[75] moderentur, quos quoque numeros (μέτρα) mediis ludis servare debeant; quomodo caveant[76], haereant, repente progrediantur, cedant inopinato; quomodo etiam resupini cadant si res ita postulet[77]. Pueri enim, — ut brevi comprehendam, — postquam eos magistri palaestricis motibus (φοραί) assuefecerunt, ad habitus (σχήματα) transeunt qui sunt proprii luctationis[78]. Eadem igitur ratione atque etiam eadem via pueros cum gymnasticae tum saltatoriae arti

---

70. PENCHER LE CORPS EN AVANT; cf. *Essai*, *150*.
71. CAMBRER; cf. *Essai*, *150*.
72. Philostratus, *Vita Apollonii*, 4, 7.
73. ὁπόσα εἴδη παλαισμάτων. Philostratus, *de Arte Gymnastica*, 14.
74. καιροί. Ibidem.
75. ὁρμαί.
76. ἑστάναι ἐν προβολῇ.
77. δεῖ γὰρ αὐτοῖς [τοῖς παγκρατιασταῖς] ὑπτιασμῶν οἵ μή εἰσιν ἀσφαλεῖς τῷ παλαίοντι. Philostratus, *Icones*, 2, 6.
78. οἱ παιδοτρίβαι τὰ σχήματα τὰ πρὸς τὴν ἀγωνίαν εὑρημένα τοὺς φοιτῶντας διδάσκουσιν. Isocrates, *Antidosis*, 183.

informari patet, cum *motus, habitus, numeros* (φοραί, σχήματα, μέτρα), a pueritia doceantur athletae nihilominus quam saltatores [79]. Delectantur enim Graeci solis his motibus, habitibus, numeris quibus decorem affert illa Eurythmia, omnium artium non secus atque animorum moderatrix. Neque miror si Plato ita censet ut unam et eandem artem ex athletarum ac saltatorum exercitationibus constare dicat : tanta erat cognatio qua gymnastica ars et ars saltandi, eo tempore, inter se continebantur.

Cui cognationi hoc imprimis indicio est quod non modo ab omnibus scriptoribus confirmatur verum etiam ex fictilium pictis imaginibus patescit : ut saltatorum ita athletarum motus habitusque (φοραί, σχήματα) musicae numeris adstringi, quae μέτρα Graeci vocant [80]. Tibicen enim, quia gymnasiarchi aeque ac magistri saltandi assiduus adjutor est, nullam corporis exercitationem praetermittit quin interveniat ut moderator. Quo tibiam inflante, athleta currere, salire, conjicere discum, commisceri luctatores membrorum implicatione, pugiles ictus accipere et infligere, hoplitae congredi armis. Eos etiam, in publicis certaminibus, modulationibus inflammare clarissimus quisque tibicen egregium ducebat. Testis est Pausanias apud quem legimus Sacadam Argivum sexiens Olympiae inter pentathlum auditum esse [81]. Pentathlos enim, ut Pausanias quoque scriptum reliquit, cum saltu decertabant, ad

---

79. τὰ σχήματα μετέφερον εἰς τοὺς χορούς, ἐκ δὲ τῶν χορῶν εἰς τὰς παλαίστρας. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 629, b.

80. Philostratus, *de Arte Gymnastica*, 14.

81. Pausanias, 6, 14.

saliendum concitabat tibicen, qui pythicum carmen tibia canebat, ut renovaretur memoria cursus qua vicisset Apollo Mercurium [82], et, simul inflaret tibicen, a perito carmen agnosceretur stimulusque fieret.

Nos autem, si quaeramus cur musica, apud Graecos, gymnasticis exercitationibus semper interveniat, Plato, ut philosophus, rem docet; qui Numerum (Ρυθμός) renuntiat a Musis datum esse ad tollenda humanae naturae vitia et adjutorem fieri ad illas virtutes consequendas quibus orbi plerique nascantur [83]; Eurythmiam enim, quod summum bonum dici possit, per motus numerose compositos [84] animis adrepere [85]; ut tibicen, cum pueris ephebisque currendo, luctando, saltando se exercentibus dat numeros, corporum simul atque animorum moderator sit.

---

1). Ex motibus igitur, habitibus, numeris, (φοραί, σχήματα, μέτρα), — ut eorum quae dixi summam faciam, — ars gymnastica constat aeque atque ars saltandi; quae Platoni, non sine causa, una et eadem ars esse videntur, quam Γυμναστικὴν appellat.

---

82. Pausanias, 5, 8.

83. ῥυθμὸς αὖ διὰ τὴν ἄμετρον ἐν ἡμῖν καὶ χαρίτων ἐπιδεᾶ γιγνομένην ἐν τοῖς πλείστοις ἕξιν ἐπίκουρος.... ὑπὸ τῶν Μουσῶν ἐδόθη. Plato, *Timaeus*, 47, c.

84. Lucianus, *de Saltatione*, 25.

85. Plato, *Politica*, 522, a.

2). Magister ille qui omnibus praeest corporis exercitationibus et παιδοτρίϐης vocatur, in palaestris et gymnasiis omnes motus (φοραί) cum gymnasticae tum saltatoriae artis pueros docet; quos quoque habituum (σχήματα) quorundam, cum in luctatione tum in Pyrricha Chironomiaque usitatorum, peritos faciet, non omissis numeris (μέτρα) quibus in animos per motus habitusque instilletur Eurythmia. Sed ludi gymnasiive magister (παιδοτρίϐης), cui quoniam non mandatur ut saltatorem perficiat in arte saltandi exercitatissimum [86], Pyrrhicam tantummodo, quae potius militare exercitium quam saltatio est, discipulum edocet; quem alteri magistro tradit in ceteris saltationibus penitus erudiendum, id est magistro saltandi.

3). Saltandi magister (ὀρχηστοδιδάσκαλος), cum gymnasii magistri partes sint gymnasticas saltationes [87] docendorum puerorum, quae praecipue ex motibus (φοραί) constent, illam sibi provinciam vindicat ut ephebos et Chori personas ac quemvis saltatorem saltationes illas edoceat, quae ad imitationem potius pertineant [88], et ex habitibus (σχήματα) imprimis conficiantur. Ab altero igitur magistro (παιδοτρίϐης) ita discipuli parantur ut apud alterum (ὀρχηστοδιδάσκαλος) absolutas saltationes discere possint, quae per σχήματα imitatione praepolleant [89].

86. ὀρχηστὴς τέλειος. Vide infra, Pars tertia, XXI.
87. γυμναστικαὶ ὀρχήσεις. Vide supra, III.
88. μιμητικαὶ ὀρχήσεις. Vide supra, III.
89. τοιοῦτον [id est ὑγρόν] ὁ γυμναστὴς [παιδοτρίϐης] τῷ [ὀρχηστο-]διδασκάλῳ παρασκευάσει τὸ σῶμα, λαϐὼν δ᾽ ἐκεῖνος εὐπειθῆ τῶν μελῶν τὴν ἁρμονίαν εἰς ἅπαντος σχήματος καταστήσει μίμησιν. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22.

PARS SECUNDA

# De Motibus

# De Motibus

---

## VI

### Quos motus (φοραί) discipulos doceat palaestricus magister.

Saltatorii motus (φοραί) quos simul ac ceteras gymnasticas exercitationes pueros docet palaestrae vel gymnasii magister (παιδοτρίβης), cum, quoniam nihil imitantur, nihil significant, tum ad solum corpus attinent atque in nonnulla genera distribui possunt, quorum hanc indicem dabo :

CRURUM PEDUMQUE φοραί,

BRACHIORUM MANUUMQUE φοραί (χειρονομία),

LATERUM φοραί,

CAPITIS φοραί,

MOTUS QUIBUS SALITUR (ἀερίαι φοραί),

MOTUS QUIBUS VOLVITUR (ἑλικώδεις φοραί).

Quibus addam :

MOTUS ET HABITUS (φοραί, σχήματα), QUIBUS UTUNTUR PYRRICHISTAE.

Pueri enim, ut supra dixi, in palaestris Pyrrhicam edocentur, cujus ad motus, habitus, numeros (φοραί, σχήματα, μέτρα), hoplomacho duce, consuescunt.

[Scripta quidem Graeca studiose sum scrutatus eo consilio ut collecta verba quae ad saltationes spectent ordine disponam, quibus cum φοραὶ tum σχήματα significentur. Verum numeros (μέτρα) praetermittam, quoniam cum Musica artius quam Arte Saltandi cohaerent].

# VII

## Crurum Pedumque Φοραί.

Crurum Pedumque Motus primum locum habere, cum in Graeca tum in nostra arte saltandi, decet : πρώτη δὲ εὕρηται ἡ περὶ τοὺς πόδας κίνησις τῆς διὰ τῶν χειρῶν [1].

Ea verba primo proferam quae, quoniam nullum proprium motum declarant, latissime patent nec ullam explicationem desiderant :

ποσὶ ὀρχεῖσθαι (Hesiodus, *Theogonia*, 4);

1. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 630, b.

πόδα χορεύειν (Anthologia Palatina, 11, 33);

ποσὶ χορεύειν (Anacreontea, 40);

αὐτὼ τὼ σκέλη χορεύετον (Aristophanes, *Pax*, 325);

πόδα κινεῖν (Euripides, *Bacchae*, 765);

ποσὶ σκαίρειν (Homerus, *Ilias*, 18, 572), pedibus tripudiare, pedes quassare, celeriter movere;

ποσὶν ἐπιῤῥώεσθαι (Hesiodus, *Theogonia*, 8) idem fere valet;

ποδῶν μαρμαρυγαί (Homerus, *Odyssea*, 8, 265; — Homerici Hymni, *ad Apollinem*, 203), pedum vibrans fulgor qui ocissimi, incalescente sole, moventur. Translatione verborum dicitur.

Nunc ad motus transeo qui formam habere videntur definitam, quam me quidem perspicere, ut candide fatear, non confido. Quos haec verba significant :

πόδα καθιστάναι (Euripides, *Bacchae*, 184). Disciplinae saltatoriae primum gradum et primum laborem, in quo operae multum ponitur, pedis statum esse liquet. Quod confirmat ex Bacchis locus quo Cadmus et Tiresias, venerandi senes, ab Euripide inducuntur; hic vates, ille Thebarum rex, uterque furiose bacchatus. Quorum alter alteri : ποῖ δεῖ χορεύειν, ποῖ καθιστάναι πόδα; .... ἐξηγοῦ σύ μοι | γέρων γέροντι, Τειρεσία· σὺ γὰρ σοφός. Ex quo intellegi potest primam curam graeco saltatori esse quomodo pedes sedeant. Nostra autem hac aetate non aliter saltator laboris initium ducit [2];

2. POSITIONS; cf. *Essai*, 85-111.

[τὰ σκέλη κάμπτειν καὶ ἐκτείνειν], καμπὴ καὶ ἔκτασις μελῶν καὶ μερῶν (Plato, *Leges*, 795, e). Eae sunt exercitationes quibus ordine ac numerose (εὔρυθμος κίνησις) molliuntur artus, praesertim crurum [3];

δάκτυλον ἄκρον ἔχειν ποδός (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 269), sublato crure, pedem habere rigidum et tensos digitos [4];

ποδὸς ὄρθιος ὁρμή (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 271), motus quo pes directus profertur [5];

ἐπιῤῥήσσειν λοξὰ χθόνα ταρσῷ (Nonnus, *Dionysiaca*, 40, 241), (complicitis cruribus?) non tota planta sed obliquato pede supplodere [6];

ἄνω σκέλος (Aristophanes, *Vespae*, 1526), tolle crus in altum! [7]

πόδα πάλλειν αἰθέριον (Euripides, *Troiades*, 325), allevatum pedem quassare;

τὸ σκέλος ῥίπτειν τὸ δεξιὸν ἀλλὰ καὶ τἀρίστερον (Aristophanes, *Pax*, 332), dextrum crus et sinistrum vicissim projicere [8];

σκέλος ῥίπτειν οὐράνιον (Aristophanes, *Vespae*, 1530), in sublime crus tantum projicere quantum potest [9];

σκέλος οὐράνιον ἐκλακτίζειν (Aristophanes, *Vespae*, 1492), in sublime crus calcitratu jactare [10];

---

3. PLIER ET TENDRE; cf. *Essai*, 177.
4. POINTE TENDUE; cf. *Essai*, 180.
5. IV DEVANT; cf. *Essai*, 93, 96, 101.
6. IV CROISÉE; cf. *Essai*, 95.
7. DÉGAGER; cf. *Essai*, 179.
8. JETÉS ALTERNÉS; cf. *Essai*, 222.
9. GRAND BATTEMENT EN II OU EN IV; cf. *Essai*, 186.
10. GRAND BATTEMENT EN IV DERRIÈRE; cf. *Essai*, 101, 186. Cf. ibidem, 306, *Ruades*.

τὸ φρυνίχειον ἐκλακτίζειν (Aristophanes, *Vespae*, 1524-5). Haec verba parum illustrat scholiastes, quae sic interpretatur : τὸ εἰς ὕψος ἐκλακτίζειν. Sed Pollucem si sequemur, certiores fiemus motus, quae vocant ἐκλακτίσματα, mulierum saltationes esse; quod quidem miremur, postquam breviorem Pollucis hanc enarrationem legerimus : τὰ δὲ ἐκλακτίσματα γυναικῶν ἦν ὀρχήματα. ἔδει γὰρ ὑπὲρ τὸν ὦμον ἐκλακτίσαι [11]. Corruptae hae voces sunt, ut opinor, et saltem γὰρ emendandus, nisi delendus. Veruntamen ex hoc loco et quibusdam aliis liquere mihi videtur ἐκλακτίσματα valere *calcitratus,* id est ludum jactantis in altum calces, sive retrorsum, sive in latus;

ἐκ ποδὸς αἰθύσσειν ἕτερον πόδα (Nonnus, *Dionysiaca*, 46, 118); figura verborum qua pedum motus alterni esse declarantur. Sed quales sint motus non video;

ταρσὰ διαζευγνύναι et statim ὁμόζυγα ταρσὰ συνάπτειν (Nonnus, *Dionysiaca,* 19, 264-5), (saltando ?) pedes una diducere ac protinus una admovere [12];

πλίσσειν (Callimachus, *Hymnus* 3 *ad Dianam*), divaricare, id est multum diducere pedes;

ἐκ ταρσοῖο ἀμείβειν ταρσόν (Nonnus, *Dionysiaca*, 10, 241); — ἐπ' ἴχνεϊ ἴχνος ἀμείβειν (Ibidem, 18, 137); — δεξιὸν ἐκ λαιοῖο ταρσὸν ἀμείβειν (Ibidem, 19, 197). Quin unus et idem motus illis verbis significetur non est dubium; quem, nisi fallor, ex saltu simul ac pedum permutatione constare dicam [13];

---

11. Pollux, *Onomasticon*, 4, 102.
12. ASSEMBLÉ; cf. *Essai*, 243.
13. CHANGEMENT DE PIED; cf. *Essai*, 245.

πόδα ἀείρειν ἐπὶ ὤμου (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 272), imponere pedem umero;

καμπύλον ταρσὸν ἐπὶ αὐχένι αἰωρεῖν ὀπισθοτόνῳ ὑπὸ τέχνῃ (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 273-4); hic est magni laboris motus, quo crus retrorsum ita extollitur ut pes, umero superpositus, ex collo emineat. Cui motui conferendae cum exercitatio quae τροχὸς a Libanio vocatur, tum saltatio quam Xenophon eodem nomine appellat [14];

ὀκλάζειν καὶ ἀνιστάναι (Xenophon, *Anabasis*, 6, 1), terram genu tangere, et statim resurgere [15];

σταφυλὴν πατεῖν ποδῶν βητάρμονι παλμῷ (Nonnus, *Dionysiaca*, 12, 351); hic motus est vindemiantium qui uvam in labro conculcant, numerose tripudiantes.

Crurum motus crebra pedis percussione alii ab aliis saepissime separabantur, quae ad servandos numeros saltatoribus maximo adjumento erat. Quod declarant verba haec :

ποδῶν κτύπος (Euripides, *Iphigenia Aul.*, 438; — Lucianus, *de Saltatione*, 2), pedis supplosio, seu percussio, qua ictus, graece θέσις, redditur [16];

ἐγκατακρούειν χορείαν ποδί (Aristophanes, *Ranae*, 330); haec percussio est qua saltantium choro servatur ictus;

οἱ τῷ σιδηρῷ ὑποδήματι κτυποῦντες (Lucianus, *de Saltatione*, 83); instrumenta, de quibus agitur, simile quicquam habent illorum quae vocat Pollux κρουπέζια, apud quem

---

14. Vide supra, Pars prima, IV.
15. Cf. *Essai*, 315 : *Danses agenouillées, accroupies.*
16. Cf. « senos ictus reddit iambus ».Ex Horatio, *ad Pis.*

legere est : τὰ κρουπέζια, ξύλινον ὑπόδημα, πεποιημένον εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ [17]. Veteribus autem cum Graecis tum Romanis tantus erat numeri amor [18] ut aures crebra et fragosa saltantium pedis percussione non offenderentur, dummodo servaretur ictus. Quae percussio adeo in consuetudinem venit ut ἄψοφον ἴχνος [19] *pedem immotum* valeret, quanquam verbum pro verbo redditum non idem declarare videatur. Saltatori enim pedum crepitus quidam necessarius habebatur : κτύπου δεῖ τοῖς ὀρχησταῖς ὅς τά τε τοῦ χοροῦ διοικήσεται πρὸς τὴν χρείαν καὶ συμβαλεῖ τοῖς ὀρχησταῖς εἰς εὐρυθμίαν. οὗτος δ' ἀπὸ ψιλοῦ τοῦ ποδὸς οὐκ ἂν ἀποχρῶν εἴη· δεῖ δήτινα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ὁρμώμενον ἀρκοῦσαν ἠχὴν ἐργάσασθαι [20]. Sed hoc animadvertendum est, illa lignea seu ferrea calceamenta quibus ad percutiendos numeros, Luciani et Libanii temporibus, saltatores utebantur, graecis saltatoribus ignota fuisse; qui, nudi aut corio calceati pedis supplosione, ictus reddere satis habebant. Mimi vero et pantomimi Romani, temporibus caesarianis, ita vehementer incutiebant pedem orchestrae pulpito ut eam aliquoties effringerent [21];

ὁ χοροιτύπος [Σειληνός] (Pindari fragmentum 57); — Γληνεὺς ὁ χοροιτύπος (Nonnus, *Dionysiaca* 14, 187); — γυνὴ παίζουσα χοροιτύπος (Ibidem, 46, 120); Silenus autem ebrius

---

17. Pollux, *Onomasticon*, 7, 87.
18. Erant φιλόῤῥυθμοι. Cf. Plutarchus, *de Musica*, 21.
19. Callimachus, *Hymnus ad Apollinem*, 12.
20. Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 20.
21. τῷ ποδὶ τὴν σκηνὴν καταῤῥηγνῦσι. Ibidem.

bacchatur et Gleneus, ut Centaurus, furit : ex quo tamen non intellegi debet solis inurbanis saltationibus supplosionem pedis inesse, quippe cum Priami filiorum saltatio jam ab Homero χοροιτυπία [22] dicatur;

ὀρχηστὴρ παλμὸς ποδῶν (Nonnus, *Dionysiaca*, 6, 47); — κυβιστητὴρ παλμὸς ποδῶν (Ibidem, 40, 242); pes saltatoris, postquam in altum elatus est, recidit atque in numerum terram quatit;

ποδοκρουστίαι (Strabo, 10, 15), a Strabone dicuntur de numerosis tripudiis quibus fanaticum furorem erumpere solent famuli [23] Hecates, Cereris, Cybelae, Bacchi, Cretensis Jovis, Apollonis etiam ac Musarum, deorum omnium quos juvat ritus cui nomen ὀργιασμῷ est. Strepentibus autem crotalis (κρόταλα), cymbalis (κύμβαλα), tympanis (τύμπανα), editur fervida saltatio quae ad sollennia quaedam accedit (τὰ ἱερὰ ἐπιτελούμενα μετ' ὀργιασμοῦ, ibidem);

γαῖαν κοναβίζειν ποσίν (Orphica, 38, 9); de Curetibus dicitur qui multo fragore saltant;

ποδὶ πέδον ἀράσσειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 281); apud Pindarum quoque legimus : ὁπλαῖς χθόνα ἀράσσειν [24] : pulsare (cum sonitu)...;

ποδὶ πλήσσειν οὖδας (Callimachus, *Hymnus* 4 εἰς Δῆλον); — ποσὶ πλήσσειν χόρον (Homerus, *Odyssea*, 8, 264); interpretatur scholiastes : ἡ ἐπικρότησις ἐκ τῶν ποδῶν, id est percussio pedis;

---

22. Homerus, *Ilias*, 24, 261.
23. πρόπολοι, χορευταί, θεραπευταί (Strabo, 10, 15).
24. Pindarus, *Pythica*, 4, 226.

ῥήσσειν (Homerus, *Ilias*, 18, 571), terram saltando vehementer ferire et ingenti strepitu;

παίζειν... ὅ ἐστιν ὀρχηστικῶς κρούειν τὴν γῆν (Eustathius, *Odyssea* θ, 250);

πέδον κρούειν ἀρβύλῃ (Euripides, *Hercules furens*, 1304). Est ἀρβύλη calceamentum crasso munitum solo proptereaque ad terram vehementer feriendam idoneum;

χρυσεοσάνδαλον ἴχνος ἐν γᾷ κρούειν (Euripides, *Iphigenia Aul.*, 1042-3);

ποδῶν κρότος (Euripides, *Troiades*, 546; — *Heraclidae*, 783);

ἐπικροτοῦνται ταρσοί (Nonnus, *Dionysiaca*, 48, 731);

ποσσίκροτος (Herodotus, 1, 66), de terra dicitur quae saltatorum pedibus pulsatur;

ποσσίκροτος (Orphica, 30, 2), de saltatore dicitur qui pedibus terram pulsat;

ποσὶ οὖλα κατακροταλίζειν (Callimachus, *Hymnus ad Dianam*, 247);

λοξῷ πεδίλῳ πέδον κροταλίζειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 46, 117), terram, non planta sed obliquo pede pulsare.

# VIII

## **Brachiorum Manuumque** Φοραί. — Χειρονομία.

Cum χείρ dupliciter dicatur, ut et *brachium* et *manum* significet, tum χειρονομία non modo manuum sed brachiorum quoque gesticulationem declarat, quae ad gymnasticam

artem pertinet. Chironomiam autem, quoniam, ut supra dictum, gymnasticae artis ars saltandi pars est, saltatorem nihilo minus quam athletam docent. Quam attingere paucis exemplis satis ducam, ea re quod brachia manusque vix dici potest quot habeant motus. Saltator enim, sive manibus loquitur, sive nihil imitans brachia manusque ad numeros movet, arbitrio suo gestum agit.

Nullum proprium motum significant haec verba :

ἡ τῶν χειρῶν κίνησις (Athenaeus, *Deipnosophistae,* 22, b). De saltatoribus agitur;

χεῖρες γυμνάζονται (Xenophon, *Convivium,* 2); de quodam saltatore dicitur;

ταῖς χερσὶ ὀρχεῖσθαι (Antiphanes, apud Athenaeum, 134, b).

Angustius vero haec verba valent :

χεῖρας τείνειν, προτείνειν, ἐκτείνειν, ἀνατείνειν, cetera : brachium porrigere, in quantum patet longitudo protendere; manus supra umeri altitudinem effere;

τὰς χεῖρας ἐν προβολῇ ἀνέχειν (Philostratus, *de Arte Gymnastica,* 31), brachia rigentia projicere, ab oculis protensa;

βάλλειν ὧδε καὶ ὧδε χεῖρας (Anthologia, *Epigrammata Erotica,* 129). De asiatica quadam saltatrice agitur quae ultro citroque spargit manus et argutiis digitorum indulget;

τὰς χεῖρας ὑπτίας ὑποκινεῖν (Philostratus, *Icones* 2, 1), manus supinas, supplicum instar, commovere;

βραχίων ἄνω [25] (Philostratus, *Icones,* 2, 34), allevatum rigensque brachium;

---

25. Cf. *Essai*, 140.

ἄνω καὶ ἔνερθε χεῖρα τινάσσειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 107), manum tum in superiora jactatam tum inclinatam vibrare;

ὑπὲρ αἰθέρα χεῖρα σεύεσθαι (Orphica, *Lithica*, 11, f), manum supra caput celeriter quassare;

χεῖρας ἑλελίζειν ἀμοιβάδα (Nonnus, *Dionysiaca*, 46, 119), utrumque brachium vicissim rotare;

τῶν χειρῶν περιαγωγή (Pollux, *Onomasticon*, 4, 96); hic motus est brachiorum (manuum) quae rapida vertigine ducuntur;

σεαυτὸν γαστρίζειν (Aristophanes, *Vespae*, 1529), ventrem strepente manu caedere. De comica saltatione agitur, qua histrio assidua vertigine rotat simul et ridiculos gestus edit;

συμφερτοῖς παλάμῃσιν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 270), compressis manibus. De uno saltatore dicitur.

Quomodo thyrsis, organis, circulis etiam utantur saltatores, ex his exemplis apparet :

θύρσον κινεῖν εἰς βακχεύματα (Euripides, *Bacchae*, 724), thyrsum movere, quassare, bacchantium ritu;

θύρσον κτύπειν (Euripides, *Bacchae*, 240), terram thyrso quatere;

θύρσῳ κροτεῖν γῆν (Euripides, *Bacchae*, 188), strepente thyrso terram percutere;

τοὺς θύρσους δονεῖν valere θυρσάδδειν (seu θυρσάζειν) dicit scholiastes (*Thesmophoria*, 1313), id est in honorem Bacchi thyrsum vibrare;

θύρσον αἴρειν ἐν δεξιᾷ καὶ ἅμα δεξιῷ ποδί (Euripides, *Bacchae*, 943), thyrsum pedi dextero innixum dextera manu ita tollere ut pes simul sublevetur et quasi pedi infixus thyrsus maneat;

ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς [ὄργανα βακχικὰ, νάρθηκας, θύρσους, παρ-ώας....] αἰωρεῖν (Demosthenes, *de Corona*, 258);

ἡ δὲ [ὀρχηστρία] λαμβάνουσα [τρόχους] ἅμα τε ὠρχεῖτο καὶ ἀνεῤῥίπτει δινουμένους, συντεκμαιρομένη ὅσον ἔδει ῥίπτειν ὕψος, ὡς ἐν ῥυθμῷ δέχεσθαι (Xenophon, *Convivium*, 2, 8) : saltatrix vero, circulis acceptis, simul et saltabat et eos sursum jactabat vibratos, circulosque in tantum altitudinis conjiciebat quantum erat satis ut eos in numerum excipere posset.

Quemadmodum pedis supplosione servatur ictus, ita manuum percussionem ad servandos numeros adhibet saltator :

τὼ χεῖρε, τὰς χεῖρας κροτεῖν (Herodotus, 2,60 ; — Plutarchus, *Convivium*, 1,5,2), manus concrepare. Non de eo qui plaudit sed de saltatore his locis agitur. Notandum vero quod τὰς χεῖρας κροτεῖν *plaudere* saepius valet ;

παλάμαις κροταλίζειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 45, 277), manibus pro crotalis uti ;

τοῖς δακτύλοις ὑπὲρ κεφαλῆς ὑποψοφεῖν (Plutarchus, περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τυχῆς, 3), allevata supra caput manu, digitis crepare. Quo loco Sardanapalum inducit Plutarchus asiatico more saltantem. Apud Athenaeum quoque legimus : [Σαρδανάπαλλον] συμβεβληκότα τῆς δεξιᾶς χειρὸς τοὺς δακτύλους, ὡς ἂν ἀποκροτοῦντα [26], id est digitis summis coeuntibus crepitare.

---

26. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 529, f.

# IX

## Corporis Φοραί.

Corpus quidem cum dico, intellegatur oportet *truncus* ab umeris ad umbilicum, ut ejusdem motus sint umerorum ac laterum φοραί. Quorum exempla haec :

δεῦρο κἀκεῖσε τοὺς ὤμους συνδιαφέρειν (Plutarchus, *Convivium,* 7, 5, 2), umeros jactare, seu in utramque partem nutare;

μ᾽ ἔασον ἑλκύσαι (Aristophanes, *Pax*, 328); — ἑλκύσαι κόρδακα (Aristophanes, *Nubes*, 540). Odiosam laterum supinitatem ἕλκειν declarat;

πλευρὰν λυγίζειν ὑπὸ ῥύμης (Aristophanes, *Vespae*, 1487); latera torquere, non illa forti ac virili inflexione quae ab armis aut a palaestra petatur, sed immoderata quadam et obscena lumborum intentione qua histriones, qui cordacem saltant, uti solent;

λυγίζεσθαι ὅπῃ καιρός (Lucianus, *de Saltatione*, 77), quoquoversus corpus flectere;

τὸ σῶμα λυγίζειν, κάμπτειν, κλάζειν (Pollux, *Onomasticon*, 4,98) corpus torquere, flectere, frangere;

εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπικύπτειν (Xenophon, *Convivium*, 2,22), motu corporis uti prono [27];

εἰς τοὔπισθεν κάμπτεσθαι (Xenophon, *Convivium*, 2,22), supinus stare [28]. Tanta autem potest esse supinitas ut saltatoris corpus quandam rotam (τροχός) imitetur : ἡ παῖς εἰς τοὔπισθεν καμπτομένη τροχοὺς ἐμιμεῖτο, ἐκεῖνος εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπικύπτων μιμεῖσθαι τροχοὺς ἐπεῖρατο (Xenophon, ibidem); — ἐπειδὰν δὲ ἐργάσηται τὸ σῶμα κύκλον, ὥσπερ τινὰ λύγον, κινεῖ πρὸς δρόμον, οἷα τροχόν · τὸ δὲ θεῖ (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22);

θαυμάσιαι καμπαί (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22). Apud Libanium scriptum est : παραλαβὼν δὲ αὐτὸν [scilicet τὸν παῖδα, τὸν εἰς τοὺς ὀρχηστὰς ἐγκριθησόμενον] ὁ παιδοτρίβης εἰς πλείους καὶ θαυμασιωτέρας καμπὰς ἢ τὸν παλαιστὴν περιάξει. Illas autem flexiones, quae καμπαὶ a Libanio dicuntur, et ad saltationis disciplinam pertinent, cum Socratis aetate tum caesarianis temporibus usitatas fuisse, e Xenophontis et Platonis simul ac Libanii laudatis locis patet;

ὕπτιος αὐτοέλικτος ἐκάμπτετο κυκλάδι τέχνῃ | .... ἐπίκυρτον ἐς ἠέρα γαστέρα φαίνων (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 276-7). Quo motu saltator adeo torquetur ut, resupinato corpore, manibus pedibusque infra junctis, pectus venterque promineant, intenti instar arcus. Ad summam vero supinitatem perduci videtur discipulus qui, Libanii testimonio, in pilae modum convolvitur, ut cubitos calces attingant : [τῷ παιδὶ] ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀνάγων [ὁ παιδοτρίβης] ὑπὲρ τῶν νώτων τὼ

---

27. CORPS PENCHÉ EN AVANT; cf. *Essai*, 150.
28. CORPS CAMBRÉ; cf. *Essai*, 150.

πόδε καὶ πρός γε ἔτι προκύπτειν τοῦ προσώπου καταναγκάζων, ὥστε τὰς πτέρνας τοῖς ἀγκῶσι πελάζειν (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 22);

ἰδνωθεὶς ὀπίσω (Homerus, *Odyssea*, 8, 375). Hic motus est sphaeristae qui, cum in eo est ut celeri brachio pilam jaculetur, corpus resupinat. Homerus enim eos qui pila ludunt *saltatores* appellat, quoniam ad numerum moventur;

ὑπτιασμός (Lucianus, *de Saltatione*, 71), saltatoria supinitas est, φορὰ scilicet, quam ostendere quantum ab illo habitu (σχῆμα) dissimilis sit, quo pancratiastes aliquandiu adversarium effugiat [27], nihil opus esse mihi videtur.

Nonnullos motus exempli gratia proferre mihi liceat, obscenos quidem, sed tamen illis saltationibus non inusitatos, quibus non modo comoedia verum etiam religio licentiam concedebat. Quorum, quanquam multi sunt, exiguum numerum colligere satis habui :

πυκνὰ τὴν ἕδραν στρέφει, ὅπως πεπαιδεῦσθαι δόκῃ (Theophrastus, ὀψιμαθίας), crebro podicem torquet ut artis saltandi callidus esse videatur;

πρωκτὸς χάσκει (Aristophanes, *Vespae*, 1493); ad verbum : hiat podex. Scholiastes vero interpretatur ἐπιδεικνύναι τὸν πρωκτὸν, id est posteriora pandere.

Sed quamvis ad formandos saltatores pudendis motibus aliquid loci concedere Graeci videantur, oratione supersedeo.

---

27. Vide supra, Pars prima, V.

# IX *bis*

## De motibus κυβιστητῆρι propriis.

Valet κυβιστᾶν in caput se conjicere, id est porrectis brachiis ita in manus insilire, ut, manus palma in plantam pedis quasi conversa, cruribus pro brachiis saltator utatur [28]. Quam exercitationem, quanquam in eos ludos incidit quos appellant θαύματα, non recusant Graeci quominus ὄρχημα dicatur. Cujus plures sunt modi. Saltatores enim, qui κυβιστητῆρες et κυβιστητρίαι vocantur, manibus ingredi parum habentes, tum rotam imitari delectantur, manibus pedibusque alterna ac celeri nutatione se excipientes [29]; tum, inverso capite, solis manibus insistunt pedibusque gestum agunt, velut ille Hippoclides qui, postquam laconico atticoque more saltando Clisthenis tyranni et amicorum admirationem moverat, iisdem in contemptionem subito

---

28. μεταστρέψασαι τὴν χεῖρα καὶ τῷ ποδί ποτε ὡς χειρὶ καὶ ταύτῃ ὡς ποδὶ χρῶνται ὀρχηστρίδες (Aristoteles, *Ethica ad Eudemum*, 7, 13, 2).

29. Cf. *Essai*, 374.

venisse dicitur, ubi, manibus ac cervice mensae impositis, scurrae instar gesticulatus est[30]; tum denique, pedibus erectis, pila ludunt, tendunt arcum, vinum hauriunt e crateribus[29], semper ad numeros se moventes.

Apud Xenophontem legimus : [εἰς ξίφη] κυβίστα τε καὶ ἐξεκυβίστα (*Convivium*, 2, 11); erectos inter gladios, infixos circulo cuidam[31], in caput prona se conjiciebat saltatrix, ac rursus supra eos supina exsiliebat. Ex quo intellegitur κυβιστᾶν et ἐκκυβιστᾶν ejusdem generis motus significare, sed ita in contrarium ductos ut, cum κυβιστᾶν *pronum in manus insilire* valeat, tum ἐκκυβιστᾶν *supinum seu resupinato corpore in manus cadere* declaret[32].

Saltatores quoque, quorum nomen ex κυβίστησις ducitur, ab Homero et Xenophonte accepimus turbinis vice nonnunquam circumagi, ut ex his locis apparet :

δοιὼ δὲ κυβιστῆρε... ἐδίνευον κατὰ μέσσους (*Ilias*, 18, 605; — *Odyssea*, 4, 18);

ἐδινεῖτο καὶ ἐξεκυβίστα (Xenophon, *Anabasis*, 6, 1).

Utrum tamen δινεύειν et δινεῖν, locis laudatis, *in caput pronum se conjicere* an *vortice recte circumagi* valeant, mihi in incerto judicium est; nec longe absum ut δινεύειν ac δινεῖν, iisdem locis, pro verbo proprio κυβιστᾶν subjiciantur.

---

30. τοῖς σκέλεσι ἐχειρονόμησε Herodotus, 6, 129).
31. κυκλὸς περίμεστος ξιφῶν ὀρθῶν (Xenophon, *Convivium*, 2, 11).
32. Philostratus (*de Arte Gymaastica*, 50) pro κυβιστᾶν et ἐκκυβιστᾶν dicit περικυβιστᾶν.

# X

## Capitis Φοραί.

κεφαλὴν διαφέρειν, περιφέρειν (Pollux, *Onomasticon,* 4,96), caput movere, rotare;

κρᾶτα σείειν (Euripides, *Bacchae*, 185), caput quassare, Bacchantium modo, id est nunc demissas, nunc supinas cervices jactare[33];

ἐπισείειν κάρη (Tryphiodorus, Ἰλίου ἅλωσις, 360), Baccharum modo, quas furiat bacchica tibia, caput vibrare;

κεφαλὴ πορήορος (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 279), inversum suspensumque caput saltatoris cujusdam qui ἐκκυβιστᾷ, erectis pedibus;

αὐχένα στροβιλίζειν (Anthologia, *Epigrammata votiva,* 94), cervices torquere. De Cybeles sacerdote dicitur qui, cum fanatico furore movetur, caput jactare et comas excutiens rotare solet;

τὸ κορύπτειν (Strabo, 10, 21), cornu ferire, arietis instar. A quo verbo verbum Κορύβαντες ductum esse putat Strabo;

33. TÊTE PENCHÉE, TÊTE RENVERSÉE; cf. *Essai,* 158.

ῥομβητοὺς δονεῖν πλοκάμους (Anthologia, *Epigrammata votiva*, 219; — δινεῖν εὐστροφάλιγγα κόμαν (ibidem). De Gallo agitur, Cybeles in honorem insaniente, cujus cincinni, capitis quassatione, vertuntur in orbem;

κεφαλὴν τινάσσειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 201), caput vibrare ad excutiendas comas (βόστρυχα σείειν). Quod quidem hoc loco facete dicit Nonnus de saltatore quodam cui nudus est capillo vertex;

περιδινεῖν ἀνελίγματα χαίτης (Anthologia, *Epigrammata funebria*, 485). De Thiadibus, quae circa tumulum Aleximenis, saltatoris praeclari, saltant neniam, tympanis sonantibus;

αὐλὸς ἔσεισε κόμας (Philostratus, *Icones*, 1, 17, Πενθεύς); tibiam bacchicam loquitur Philostratus qua fanaticus furor animis subrepit.

Graeci saltatoris oculi non modo loquuntur quemadmodum affectus sit et animi indices sunt, sed etiam motibus ejusmodi moventur (φοραί) quales de membris ac toto corpore superius exposui. Quod quidem ex his exemplis patebit, id tamen mirabimur, praesertim cum nostra hac aetate oculos in numerum tollere, demittere, rotare, saltatoribus sit inusitatum :

ἐπισκοπεῖν πανταχῇ κυκλοῦσαν ὄμμα (Aristophanes, *Thesmophoria*, 958), oculos circumagere atque ita quoquoversus volvere ut cum pedibus in gyros ductis consentiant. Saltatores enim quos hoc loco inducit Aristophanes, orbem versant;

ταχεῖς ὀφθαλμοί (Philostratus, *Icones*, 2, 1), nulla translatione dicitur ac *prompti ad numeros oculi* valet, ut ex

ipso loco exstat : ταχεῖς δὲ οἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ θεοῦ, ῥυθμόν τινα, οἶμαι, διανοοῦντες. Quem deum, Cupidinem scilicet, Virgines ciscumstant hymnum canentes et supinas manus librantes blande, fluctuum instar, in honorem Veneris quam e mari genitam dicunt;

ὄμμα δέ οἱ καὶ ταρσὰ ποδήνεμα (Anthologia Planudis, *Epigramma* 283); ad verbum : oculorum et pedum velocitate ventos aequat saltatrix;

ὀφθαλμοὶ συγχορεύοντες (Philostratus, *Icones*, 2, 35, *Horae*). Horis in gyros volitantibus sublatum est brachium, demissa coma, fervetque gena prae cursu, unaque subsultant oculi;

ἠέρι πέμπειν ὀπωπάς (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 263); in saltus ferri et simul oculos ad caelum erigere.

Omittan vero verba, qualia sunt ἀναβλέπειν, περιβλέπειν, ὄμματα δινεύειν, ὀφθαλμοὺς ἑλελίζειν, cetera, quibus oculorum σχήματα potius quam φοραὶ significantur.

# XI

## Quid sit Incessus (πορεία) et quid Status Pedis.

Saltator, postquam singulas corporis partes, in vestigio stans, movere didicit, locum mutare docetur et facere gradum ut artis saltandi ratio postulat. *Incessus* autem,

quam πορείαν Graeci vocant, id est τὸ βαίνειν, τὸ βαδίζειν ὀρχηστικῶς [34], quomodo fiat, ex his verbis intellegere est :

εἰς τὸ πρόσθεν, ante....
εἰς τοὔπισθεν seu ἐπ' οὐράν [35], retro....
ἐπὶ δόρυ [35], in dexterum,
ἐπὶ ἀσπίδα [35], in sinistrum,
εἰς τὰ πλάγια, in obliquum;

ὀρθὸς βαδίζειν [36] (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 622, c), recta via seu in directum ingredi;

σκολιοδρομεῖν, id est flexuosum iter carpere; novum quidem verbum insolitumque apud bonos auctores, ducitur tamen a σκολιόδρομος, quod minus recens est;

παλίσσυτον ἴχνος (Nonnus, *Dionysiaca*, 18, 110); hic est motus quo pes retro fertur;

δόχμιος ταρσός (ibidem), immutatione verborum dici mihi videtur et *gradus in obliquum ductus* valere.

Saltator vero, quocumque incedit, tum humi movetur, tum in sublime corpus jactat, ut jure optimo Eustathius aliud saltationem χθονίαν, aliud ἀερίαν esse voluerit [37]. Quarum discrimen non difficile est; etenim, cum nullus saltus ad saltationes χθονίας accedit, — quas quoque κοινὰς appellat Eustathius, — tum saltationes ἀερίαι ex illis motibus constant, quae vocant Graeci ἅλματα, πηδήματα, σκιρ-

34. Lucianus, *Nero*, 6; — Strabo, 10, 21.
35. Theophrastus, ὀψιμαθίας.
36. Cf. Sophocles, *Ajax*, 1254 : ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.
37. Eustathius, *Odyssea*, θ, 378.

τήματα, quibus fit illa quae dicitur πορεία πολύσκαρθμος [38].

Adde huc quod ἀερία saltatio haud secus ac saltatio χθονία potest ὄρχησις ἑλικώδης [39] fieri, quotiescumque saltator in orbem circumagitur.

Hoc denique animadvertendum est, inter saltatorios motus manifestam dissimilitudinem apparere, prout saltator, unoquoque gradu, pedem admoveat solo et tota planta progrediatur, aut contra, omne tempus allevata calce, suspensum pedem proferat et summis ambulet digitis, Occasionis instar, quam stantem ἐπ' ἄκρα poeta effinxit [40]. Cujus quidem status (ἐπ' ἄκρα, ἐπ' ἄκρων) exemplis satis obscura interpretatio adjicitur [41], quem picturae et sculpturae monumenta multo dilucidius cernere sinunt.

---

38. Nonnus, *Dionysiaca*, 48, 639.
39. TEMPS TOURNANTS; cf. Essai, 209.
40. Anthologia Planudis, *Epigramma* 275.
41. Nonne Apollo suspenso gradu procedit, hoc versu quo dicitur καλὰ καὶ ὕψι βιβάς (Homericus Hymnus *ad Apollinem Pythium*, 202)?

# XII

## De motibus quibus salitur:

## ὄρχησις ἀερία.

Hactenus fuit quod a me de χθονίας saltationis motibus (φοραί) scribi posset. Venio nunc ad φορὰς quibus ἀερία constet saltatio. Ad quos adeo propensi natura sumus, si Platoni fides, ut omnibus fere saltationibus saltus adjiciatur : μετεωρίζειν ἀπὸ τῆς γῆς.... πάλλειν τε καὶ πάλλεσθαι, καὶ ὀρχεῖν καὶ ὀρχεῖσθαι καλοῦμεν [42].

Saltationis ἀερίας haec exempla proferam :

μετεωρίζειν, μετέωρος εἶναι (Eustathius, *Odyssea*, θ, 376), in sublime sic tolli ut neuter pes ne libet quidem terram [43]; quod in saltu fit. Homerus enim de sphaerista, qui saliens pilam excipit, haec dicit : ὁ δ'ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἀερθεὶς | ῥηϊδίως μεθέλεσκε, πάρος ποσὶν οὖδας ἱκέσθαι, quod interpre-

42. Plato, *Cratylus*, 407, a.
43. PÉRIODE DE SUSPENSION. Cf. *Essai*, 69, 222.

tatur Eustathius : ἀναπηδήσας καὶ ἔτι μετέωρος ὢν μετελάμβανε (loc. cit.);

πολὺ ἀπὸ τῆς γῆς εἶναι (Philostratus, *Apollonii Tyanei Vita*, 2, 28). De saltatore quodam agitur, qui in tantum altitudinis salit quantum necesse est ad κυβίστησιν [44] perficiendam priusquam in pedes recidat;

ἐκ χθονὸς αἰωρεῖσθαι πολυσκάρθμῳ πεδίλῳ, (Nonnus, *Dionysaca*, 19, 263); de iteratis et continuis dicitur saltibus;

ἐν ἠέρι ταρσὰ μεθέντες.... Σάτυροι (Nonnus, *Dionysiaca*, 10, 148), in altum saliunt Satyri antequam praecipites in manus recidant; quod κυβιστᾶν est [44];

[τὼ πόδε] ἀναβάλλειν ἅμα (Alexis, apud Athanaeum, 134, b), ambobus pedibus in altum exsilire.

## Πηδήματα.

ἀτάκτως πηδᾶν (Plato, *Leges*, 672, c); hic saltus incompositus est, adstrictus scilicet nullis numeris, cui indulgere juvant pueri, quos ludus, natura duce, sollicitat. Tantum in nobis insitum est, ut ait Plato, desiderium saltandi! Similiter a Sophocle dicitur hinnuleus lascivire : νεβρὸς οὐράνιον πήδημα κουφίζουσα [45]. Inde patet vocibus πηδᾶν, πήδημα, πήδησις inconditos motus atque, ut graece loquar, ἀῤῥύθμους φορὰς significari;

πηδᾶν σὺν πεύκαισι (Euripides, *Bacchae*, 307), de Bacchantibus dicitur, id est de Baccho ipso et famulorum caterva,

44. Vide supra, Pars secunda, IX bis.
45. Sophocles, *Electra*, 860-1.

qui, facibus armati et fanaticis incensi saltationibus, Delphicis saxis nocte concursant;

πηδῶντες [Κουρῆτες] ἐνθεόν τι καὶ πολεμικόν (Lucianus, *de Saltatione*, 8); saliunt Curetes tanquam furiosi, ut, pedibus et armis concrepantibus, vagitus Alumni obruantur;

σφοδρὰ καὶ καματηρὰ πηδήματα ταῖς ἀγροικίαις ἐπιπολάζοντα (Lucianus, *de Saltatione*, 33). Rusticis saltationibus (ἄγροικαι ὀρχήσεις) immoderati saltus insunt; nec mirum.

Verbum autem πηδᾶν, quam habeat vim et notionem, exemplo hoc aperiam, ab Euripide sumpto : χεῖρα δ'ἐμπλέξας' ἐμὴν | σχήσω σε πηδᾶν δυστυχῆ πηδήματα (*Orestes*, 262-3). Quibus versibus alloquitur Electra fratrem quem sceleris memoria cruciatum quassant Furiae. Sequitur ut saltus, quae πηδήματα vocant et πηδήσεις, fanaticorum saltationibus maxime apti sint : Satyros dico et Bacchas, omnes thyasi bacchici personas, Cybeles famulos, quibus saltatores rusticanos libens addam.

## Σκιρτήματα.

Verum verbo σκιρτᾶν, quanquam in bacchicos et comicos saltatores plerumque cadit, minus inconditi motus significantur. Qua quidem Libanius utitur de saltationibus rusticis dicens, quae circum arbores antiquitus ducebantur [46], ea voce certe Aristophanes de motibus bene compositis usus est :

46. περὶ τοὺς ὄρχους σκιρτήματα (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, p. 394, Reiskius).

ἀπαξάπαντες ἐξ ἑνὸς λόγου | ὀρχεῖσθε καὶ σκιρτᾶτε καὶ χορεύετε (Aristophanes, *Plutus,* 760-1). Quibus versibus declarantur quaedam choricae exercitationes, ordine ac numerose orientes aliae ex aliis.

Baccharum igitur et Corybantum saltibus, qui dicuntur σκιρτήματα [47], aliquid adest eurythmiae et numerus quidam. Testis est Nonnus apud quem :

σκιρτᾶν ποδῶν βητάρμονι παλμῷ (18, 140).

Testes sunt Nymphae, quas, quanquam pedibus summam arenam libare et vix tentare terram poeta dicit, σκιρτήμασι tamen indulgentes inducit :

ἴχνεσι κοῦφαι [Νύμφαι], σκιρτῶσαι (Orphica, 51, 8).

Pan quoque σκιρτητὴς vocatur, quem Nympharum choros ducere juvat :

ἐν ταῖς κορυφαῖς τοῦ Κιθαιρῶνος ὑποσκιρτῶν [Πάν] (Philostratus, *Icones*, 1, 13, *Semele*);

ὅτε ἐτίκτετο [Πίνδαρος] ἐλέγοντο καὶ αἱ Νύμφαι χορεῦσαι οἱ, καὶ ἀνασκιρτῆσαι τὸν Πᾶνα (Philostratus, *Icones*, 2, 12, *Pindarus*).

Nuptialibus quoque et funebribus etiam choreis insunt σκιρτήματα :

ἐπισκιρτᾶν πολυσκάρθμῳ χορείῃ (Musaeus, *Eros et Leander*). De nuptiali saltatione agitur qua multum salitur ac laetissime ;

ἐπισκιρτήματα ταρσῶν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 152); hae saltatorum exsultationes sunt in honorem Staphyli mortui, ad laetos numeros [48] adstrictae, etiamsi funus fiat.

---

47. Plutarchus, *de Amore*, 16.
48. φιλοπαίγμονα ῥυθμόν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 148).

*Saltus alii.*

ἐξάλλεσθαι (Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 1, 5, 2); exsilire, laetitia plenus, sed numerose (ἔρρυθμος κίνησις, ibidem);

ποσὶ σκαίρειν (Homerus, *Ilias*, 18, 572). Interpretatur Eustathius : τὸ δὲ ποσὶ σκαίρειν εὔρυθμόν τινα καὶ ὀρχηστικὴν κίνησιν δηλοῖ.

ὀρχηθμῷ πτερόεντι περισκαίρειν καλιήν (Nonnus, *Dionysiaca*, 1, 135); circumsilire...

ἄιρεσθ' ἄνω, ἰαὶ εὐαι (Aristophanes, *Ecclesiazusae*, 1179); quibus motibus omnes Chori personae, nisi fallor, non uno pede, sed ambobus pedibus, una saliunt. Etenim in Lysistrate similiter carmen Chori finitur : ἄιρεσθ' ἄνω, ἰαί, | ὡς ἐπὶ νίκῃ, ἰαί, quod ad verbum est : exsilite velut si victoriam celebretis;

ἀνθρώσκει δ' ὡς βρομιαζομένα (Anthologia, *Epigrammata descriptiva*, 774); — εἰς χωρείαν θρώσκει ὡς βρομιαζόμενος (Ibidem, 775); utrumque de saltatore dicitur quem bacchicus tenet furor [49]. Media inter πηδᾶν et ορμᾶν (seu τρέχειν) mihi videntur esse θρώσκειν et ἀναθρώσκειν ;

ποσὶν ἀμοιβαίοις ἀνασκιρτᾶν (Nonnus, *Dionysica*, 18, 119), invicem tractu pedis salire [50];

σκαίρειν ποδῶν ἑτεραλκέϊ παλμῷ (Nonnus, *Dionysiaca*, 18,

49. βακχικὸς ὀργίασμός (Plutarchus, *de Amore*, 16).
50. JETER. Cf. *Essai*, 222.

119). Cum de sene quodam e vino vacillante loquatur Nonnus, me nescire fateor utrum ἑτεραλκὴς παλμὸς *instabile vestigium* an *supplosionem pedis alternam* significet.

Quibusdam quoque motibus, quos supra collegi [51], interpretatio nulla adjici poterit veri similior, quam si saltator motus illos et simul saltus dare putabitur.

ποτὶ πυγὰν ἅλλεσθαι (Aristophanes, *Lysistrata,* 82); saltus dare simulque calcibus ferire nates. Quam saltationem saltari quadam a Lacone dicit Aristophanes, eandem Pollux refert et βίβασιν appellat. Bibasis, inquit, Laconicae saltationis species; cujus erant et proposita praemia, neque solum pueris sed et virginibus; necesse autem erat in hac saltatione exsilire et nates pedibus contingere; atque ita numerabantur saltus; unde fuit excusum in honorem unius saltatricis hoc epigramma : « millies olim exsiliit in βιβάσει, nec usquam aliquis alibi saltuum numerum excessit » [52].

ἀνεῤῥιπτεῖτο κούφως ἐς τὸ ἄνω, καὶ ἐπειδὴ πολὺ ἀπὸ τῆς γῆς γένοιτο, ἐκυβίστα ὁ παῖς (Philostratus, *Apollonii Tyanei Vita,* 2, 28) [53].

---

51. ὁμόζυγα ταρσὰ συνάπτειν (*Assemblé*; cf. *Essai*, 243); ἐκ ταρσοῖο ἀμείβειν ταρσόν (*Changement de Pied*; cf. *Essai*, 245). Vide supra, Pars secunda, VII.

52. βίβασις δέ τι ἦν εἶδος Λακωνικῆς ὀρχήσεως, ἧς καὶ τὰ ἆθλα προὐτίθετο, οὐ τοῖς παισὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς κόραις. ἔδει δὲ ἅλλεσθαι καὶ ψαύειν τοῖς ποσὶ πρὸς τὰς πυγάς. καὶ ἀνηριθμεῖτο τὰ πηδήματα. ὅθεν ἐπὶ μιᾶς ἦν καὶ ἐπίγραμμα · Χίλια πόκα βιβάντι · πλεῖστα δὴ τῶν πῆ ποκα (Pollux, *Onomasticon*, 4, 102).

53. SAUT PÉRILLEUX.

# XIII

## De motibus quibus volvitur :

ὄρχησις ἑλικώδης.

Φορὰς quibus saltator corpus in orbem versat cum Graeci valde probabant, tum nominibus, multis quidem sed certe ambiguis, notabant. Itaque, quoniam res summam habet difficultatem, hanc veniam postulo ut, extra graecam saltandi artem, reperire mihi liceat aliquam viam illustrandae quaestionis et a nostris saltatoribus auxilium petere. Qui in quattuor genera distribuunt motus quibus volvitur :

A) Motus quo amborum pedum trepidatione rotatur [54];

B) Motus quo, saltatore in summos unius pedis digitos arrecto, totius corporis fit circumactus [55];

C) Motus quo, ambobus pedibus saltu suspensis, vorticem saltator efficit [56];

---

54. PAS TOURBILLONNANTS; cf. *Essai*, 257.
55. PIROUETTE; cf. *Essai*, 258.
56. TOUR EN L'AIR; cf. *Essai*, 264.

D) Motus quibus orbiculatim vestigio movetur [57].

Quas φοράς, quoniam verba quibus graece efferuntur satis obscura sunt, in unamquamque speciem A, B, C, D dispertire non ausus sum. Atque hanc solam mihi provinciam deposco ut legentibus aliquid afferam materiae. Litteram tamen (A, B, C, D) plerisque imponam motibus, non quidem ut firmem quales sint, sed ut notem modo quid de iisdem sentiam :

στροφάλιγξ ταρσῶν (Nonnus, *Dionysiaca*, 45, 278); de Baccha dicitur; A);

τροχαλοὶ Κορύβαντες (Nonnus, *Dionysiaca*, 9, 162); A); D);

πολυέλικτος [Σειληνός] (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 266); A); B);

λαίλαψ ταρσῶν (Nonnus, *Dionysiaca*, 7, 21). Saltatio de qua mentionem Nonnus facit, rustica est; A);

ἑλικώδεϊ παλμῷ χορεύειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 196). De Marone agitur, qui, quanquam solus saltat, dicitur χορεύειν; A);

εἱλικόεντι παλμῷ ποδῶν βακχεύεσθαι (Nonnus, *Dionysiaca*, 15, 57). Fanatico furore (ὀργιασμός) et ebrietate incensus, Indius quidam in gyros saltat;

ὀρχηστῆρι ποδῶν ἐλελίζεσθαι παλμῷ (Nonnus, *Dionysiaca*, 10, 239). Est παλμός crebra et sonora pedis supplosio;

ὀρθὸς ἐπὶ πτέρναις ἑλικώδεϊ σείετο παλμῷ (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 267); tota planta verticem efficit Silenus; A);

ποσὶν ὁμοζήλοισιν ἕλιξ ὀρχεῖσθαι (Nonnus, *Dionysiaca*, 18, 138). De bacchico saltatore; A);

---

57. DÉPLACEMENT CIRCULAIRE; RONDE.

δεξιὸν ἐκ λαιοῖο μετήλυδα ταρσὸν ἑλίσσειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 18, 139); pes pedem in gyros fugat [58]. De bacchico saltatore;

ἡ τῆς περιφορᾶς ἐν πλήθει συνέχεια (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24); implexa motuum series quibus circumagitur discipulus, magistro saltandi duce; B);

ἴδμονι ταρσῷ κυκλοῦσθαι (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 136). Ex uno fortasse pedes ambo sunt intellegendi. Verum si singularis numerus hoc versu certam significationem habet, uno pede turbinem efficere saltator mihi videtur; B);

βέμβικες γίγνεσθαι (Aristophanes, *Vespae*, 1530); comica saltatio; A); B);

βεμβικίζειν (ibidem, 1517); A); B);

στρόβειν et παραβαίνειν κύκλῳ (ibidem, 1529), de iisdem saltatoribus dicuntur qui turbines (βέμβικες) fiunt et statim, fortasse simul [59], crus in caelum jactant : ῥίπτουσι σκέλος οὐράνιον. Valet στρόβειν *circumagere* et idem fere παραβαίνειν κύκλῳ declarat;

ταχὺν πόδα κυκλοσοβεῖν καὶ τὸ Φρυνίχειον ἐκλακτίζειν (Aristophanes, *Vespae*, 1524-5). Motu, quod ἐκλάκτισμα dicunt, pes supra umeri altitudinem effertur [60], ut, κυκλοσοβεῖν et simul ἐκλακτίζειν, quaedam turbo sit implicata calcitratu [61];

οἱ Καρκίνου στρόβιλοι (Aristophanes, *Pax*, 864), turbines

---

58. CHASSÉS EN TOURNANT; cf. *Essai*, 256.

59. PIROUETTE A BATTEMENTS ; cf. *Essai*, 263, OU JETÉS FOUETTÉS EN TOURNANT; cf. *Essai*, 256.

60. Pollux, *Onomasticon*, 4, 102.

61. PIROUETTE A BATTEMENTS; cf. *Essai*, 263.

quae patrem habent Carcinum. Saltationis autem quae vocatur στρόβιλος, mentionem facit Athenaeus[62], nec eam describit. Quam falso scholiastes, mea quidem sententia, συστροφὴν dicit, — multorum scilicet in orbem saltationem, — eam esse, ut nomine ipso declaratur, unius saltatoris exercitationem, qua citissime in gyros circa se eat, puto; B);

ὑπόπτεροι περιάγονται, τελευτῶσι δὲ εἰς ἀκίνητον στάσιν ὥσπερ κεκολλημένοι (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24), saltatores, tanquam pedibus addantur alae, in orbem vertuntur atque, e citissima rotatione in gyrum, corpus subito ad stationem immobilem ita revocant ut pes videatur terrae agglutinari[63]; B);

σκαρθμὸς ἕλιξ (Nonnus, *Dionysiaca,* 19, 153); C);

τᾷδ' ἐκεῖσε [τῇδε κἀκεισε] ἑλίσσειν (Euripides, *Troiades,* 333)[64];

περιαγωγῇ χρῆσθαι (Pollux, *Onomasticon,* 4, 96); D);

εἰλιγμοὶ ποδῶν (Orphica, 38, *Curetes*); de Curetibus dicitur qui saltando Jovem circumcursant; D);

εἰλήσεις ὀρχηστοῦ (Eustathius, *Ilias,* Σ, 494). De nuptiali saltatione agitur; D);

ἑλίσσεται ὀρχηστὴρ πολύκυκλος (Nonnus, *Dionysiaca,* 7, 20); D;

ἑλίσσει ποδὸς ἴχνος (Nonnus, *Dionysiaca*, 5, 111). ἴχνος vestigium est; D);

ἴχνια δινεύειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 15, 67); D);

---

62. *Deipnosophistae*, 630, a.

63. PIROUETTE FINIE EN ATTITUDE; cf. *Essai*, 263.

64. PAS TORTILLÉ des danses slaves dans lequel le pied tourne alternativement sur le talon et sur la Pointe (?)

κύκλα ποδῶν (Nonnus, *Dionysiaca*, 19, 169). Circuli sunt κύκλα quos in terra saltator describit ; D) ;

τροχάλῳ ὁλκῷ κυκλοῦσθαι (Nonnus, *Dionysiaca*, 18, 41). Sulcus seu vestigium ὁλκὸς est ; D) ;

καμπύλον ἴχνος ἄγειν (Nonnus, *Dionysiaca* 18, 41).; D);

λοξῷ πεδίλῳ καμπύλον ἴχνος ὑποσκαίρειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 8, 21), obliquo calceo, seu pede, orbiculatim subsilire ; D).

Quibus autem laudatis, plane patet cum irrequietam quandam rotationem, ad stimulos fanatico furori injiciendos idoneam, bacchicis saltatoribus potissimum curae fieri, tum citissimos vortices comicis non parvo momento esse ad hilaritatem movendam spectantibus.

# XIV

## De Saltationibus Armatis quas pueros palaestricus magister docet.

Saltationis armatae [65] cum motus (φοραί) plerosque a militaribus exercitiis Pyrrichistae mutuantur, ut

---

65. ἐνόπλιος seu πολεμικὴ ὄρχησις, — αἱ ἐν τοῖς ὅπλοις κινήσεις, —

*declinationem corporis* (ἔκνευσις [66]),
*motum quo retroceditur* (ὕπειξις [66]),
*in sublime saltum* (ἐκπήδησις ἐν ὕψει [66]),
*reptationem* (ταπείνωσις [66]),

quibus omnis ictus jactusque cautionem imitantur [66], tum a bellicis ludis habitus (σχήματα) et μιμήματα, quibus fictum hostem aggrediuntur et feriunt. Sed illis motibus et habitibus adduntur, ut ita dicam, saltationis ornamenta, e quibus saltatores cognomen trahunt Χαλκοκρότους [67]. Pyrrichistae enim, mutuis ictibus arietantes, tum gladium gladio, tum scutum scuto percellere solent, ut armorum sonitu saltatio splendidior simul ac numerosior fiat [68]. Atqui omnes quoque φορὰς, quas supra dixi, ad suas proprias exercitationes adhibent Pyrrichistae; ut, crura pedesque, brachia manusque, latera, caput, iisdem motibus quos numeravi [69] jactantes, nunc in vestigio stent, nunc gradum ferant, modo saliant, modo in gyros vertantur, nonnunquam orbiculatim vestigio moveantur. Etenim hoc perspicuum est eos cogno-

---

ἡ ἐνόπλιος χορεία seu κίνησις, — τὸ τὴν μάχην ὀρχεῖσθαι, — τὰ ἐνόπλια παίγνια, — ἡ φερεσσακὴς χορεία, — το Κορυβαντιᾶν, — ἡ τῶν Κουρήτων seu τῶν Κορυβάντων ὄρχησις, — τὸ πυῤῥιχίζειν, — ἡ πυῤῥίχη. Cf. Pars prima, IV.

66. Plato, Leges, 815, a.

67. Orphica, 31, *Curetes.*

68. ξίφη κτυπεῖν (Nonnus, *Dionysiaca*, 9, 164); — ἀμοιβαίαις ῥιπαῖς ἀσπίδας κρούειν κυβιστητῆρι σιδήρῳ (ibidem, 164-5); — τοῖς ξίφεσι τὴν ἀσπίδα κρούειν (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 20); — σακεσπάλον ἅλμα (Nonnus, *Dionysiaca*, 3, 63), id est saltus quo vibratur scutum; — ἴχνεσι μετρητοῖσιν (ibidem).

69. Vide supra, Pars secunda, VII, VIII, IX, X.

mina ducere e motibus quibus terram pede pulsant [70]. Dicuntur autem σκιρτηταί, ῥομβηταί, ποσσίκροτοι [71].

Praeterea Pyrrichistarum aciem instruit hoplomachus ut belli simulacra, saltatorum modo, cieant [72].

Verum Pyrricha, cum eam diu palaestrae aut gymnasii magister (παιδοτρίβης) discipulos ita docuerit ut, hujus saltationis motibus et habitibus (φοραί, σχήματα), pueri ephebique non modo ad Panathenaicorum Pompam certaminaque sed etiam ad bella pararentur, tum tempore adeo vitiata est et effeminata, ut, exceptis Spartanis, quibus eadem semper fuerit, in bacchicum quendam ludum sit conversa [73].

---

70. γαῖαν κοναβίζειν (Orphica, 38, *Curetes*).

71. Orphica, 31, *Curetes*.

72. στησάμενοι κύκλῳ χορόν (Callimachus, *Hymnus 3 ad Dianam*); —ὁμαρτῇ πλίσσειν (Ibidem), scilicet una divaricare. — SE FENDRE.

73. ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων, προίενται δὲ ἐπ' ἀλλήλους καὶ νάρθηκας καὶ λαμπάδας φέρουσιν ὀρχοῦνται τε τὰ περὶ τὸν Διόνυσον καὶ [τὰ περὶ] τοὺς Ἰνδοὺς ἔτι τε τὰ περὶ τὸν Πενθέα (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 631, a).

PARS TERTIA

# De Habitibus

# De Habitibus

# XV

## Quid discipulus docendus sit postquam apud παιδοτρίβην saltatorios motus didicerit.

Pueri ephebique, de πα δοτρίβου potestate exeuntes, unam tantum et certe exiguam artis saltandi partem callent. Superest enim ut summa saltationum impedimenta, altero duce, discutiant, quem ὀρχηστοδιδάσκαλον appellari supra diximus. Namque haud satis est si discipulus quemque motum (φορά) a ceteris sejunctum dare possit[1]; oportet enim saltatorii motus ita connectantur[2] et quasi contexantur[3] ut in alias

1. TEMPS ; cf. *Essai*, 206-7.
2. ENCHAINEMENTS ; cf. *Essai*, 273.
3. PAS ; cf. *Essai*, 206-7.

atque alias formas paulatim transeant, et apte conveniant ad unumquodque saltationis genus : ut si attico more, seu laconico, seu ionico, seu cretico saltandi [4] locus sit. Apud Herodotum legimus Hippoclidem Atheniensem, cum uxorem sibi posceret Clisthenis Sicyonii filiam, λακωνικὰ et ἀττικὰ σχημάτια saltavisse [5]. Itidem in Aristophanea Lysistrate Laconum Chorus laconicos [6] motus edit, Atheniensium Chorus atticos.

Discipulum quoque, cum saltationes dispares sint hoc quod dicant Graeci ἦθος, operam dare oportebit ut φοραὶ tantum forma differant quantum ἦθος postulet, et motuum unusquisque ad ἦθος aptus sit. Quam rem non parvi laboris esse intellegemus, modo nonnulla verba colligamus quibus saltationum species graece significentur :

ἀμύμων ὀρχηθμός (*Ilias, Odyssea*, passim) ;

σπουδαῖαι ὀρχήσεις (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 629, f) ;

καλαὶ καὶ ἐλευθέριοι κινήσεις (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 629, b) ;

ἐλευθέριοι κινήσεις (Aristoteles, *Politica*, 8, 5, 9) ;

τραγικὴ χορεία
κωμικὴ χορεία
σατυρικὴ χορεία
} de arte saltandi dicitur, scaenicis ludis aptata, scilicet tragoediae, comoediae, satyro.

---

4. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 22, b.

5. Herodotus, 6, 129.

6. nominatim τὸ διποδιάζειν [a], quod σχημάτιον quoddam est. Diligentissime autem discrimen faciendum est σχήματος ac σχηματίου. De habituum (σχήματα) natura hoc libro satis disputavi. Gallice σχήματιον est : PAS [DE DANSE].

a. Cf. διποδία, apud Pollucem (*Onomasticon*, 4, 101) : διποδία, ὄρχημα λακωνικόν.

παιζόντων ὄρχησις (Plato, *Leges*, 673, a);

ὀρχήσεις γελοῖαι (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 629, f);

βακχικὴ χορεία, in honorem Bacchi saltatio;

τὸ βακχιάζειν (Euripides, *Cyclopus*, 204; — *Bacchae*, 931);

τὸ κωμάζειν (Lucianus, *de Saltatione*, 11), id est Liberalia (Dionysia) agitare canendo et saltando, inter comissationem;

τὸ ἀνδρίζεσθαι, τὸ θῆλυ βαίνειν (Philostratus, *Icones*, 1, 2, Κῶμος); de comissatoribus dicitur qui, antequam saltationi indulgent, ita vestem mutant ut viri muliebri vestitu, virili mulieres induantur. Hinc effici ut saltationis ἦθος, simul ac saltatorum vestitus, aliud fiat;

μανικὴ χορεία seu βακχεία ὄρχησις (Plato, *Leges*, 672, b);

οἱ μανικῶς κινούμενοι (Strabo, 10, 21); ii sunt qui fanaticis tripudiis tumultuantur interea dum sacrificatur diis quos ὀργιασμὸς juvat;

ὀρχήσεις μανιώδεις (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 631, a);

ἀγεννεῖς χορεῖαι (Plutarchus, *Lycurgus*, 28);

φαύλη, φορτικὴ ὄρχησις, τὸ φορτικῶς ὀρχεῖσθαι (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 631, d; 628, c);

τὸ σαυλοῦσθαι (Euripides, *Cyclopus*, 40); de Satyris dicitur qui moventur impudice.

Debent autem φοραί, prout cujusque saltationis ἦθος mutatur, tum celeriores fieri, tum tardiores [7]. Quod si saltator, propter inscitiam, non ita temperat motus ut ἦθος

---

7. θάτται, βραδύτεραι [φοραί] (Plato, *Leges*, 796, c); cf. στασιμαὶ ὀρχήσεις et ὀρχήσεις διὰ τάχους (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 629, d; 630, d); — ὀρχήσεις διὰ ποδῶν σύντονοι (Eustathius, *Odyssea*, θ, 376).

pedetentim sequantur, eos distorquet, ut malus scriptor verba, et soloecismos facit [8]. Etenim si quis inepte motibus saltatoriis utetur, non minus peccabit quam si a numeris discesserit.

Superest denique, quod maximi momenti esse videtur, ut discipulus, — cum ars saltandi e motibus et habitibus (φοραί, σχήματα) constet perpetua firmissimaque conjunctione jugatis, — studium in habitibus adhibeat; quos nisi penitus discet, ad nullam absolutam saltationem accedere poterit. Ne multa : ut ludi magister (παιδοτρίβης) erudivit puerum quomodo moveat corpus, ita magister saltandi (ὀρχηστοδιδάσκαλος) discipulum habitibus informat, et assuefacit φοραῖς σχήματα connectere.

---

8. ἄλογα κινούμενος.... σολοικίας δεινὰς ἐν τῇ ὀρχήσει ἐπιδεικνύναι (Lucianus, *de Saltatione*, 80).

# XVI

## De saltandi magistro [9] (ὀρχηστοδιδάσκαλος) et habitibus (σχήματα).

Locus hic est ut de saltandi magistro complectar brevi quid memoriae proditum sit, ac primum illius aetatis mentionem faciam, qua musicae artes, ποίησις, μουσική, ὄρχησις, ita consociarentur ut poetae non modo versus scriberent sed verbis modos saltatoriosque motus accommodarent. Dicuntur etiam veteres poetae, Thespis, Pratinas, Cratinus,

9. Quem breviter vocat διδάσκαλον, nonnunquam etiam χοροδιδάσκαλον (*Leges*, 655, a; 813, a), eundem Xenophon ὀρχηστοδιδάσκαλον appellat. Apud Platonem vero legitur ὁ et ἡ διδάσκαλος. Quae magistra, διδασκάλου instar, cantibus praeesse haud secus ac saltationibus videtur.

Descripsit Philostratus tabulam quandam in qua ὑμνητρίαι, ore aperto, ut canentium, erant pictae; quarum unam, vocem dissonam edentem, respicit magistra manibus supplodens, id est digitorum ictu certos numeros jubens, ut imperitam cantricem ad melodiam reducat : ἡ διδάσκαλος ὑποβλέπει τὴν ἀπᾴδουσαν, κροτοῦσα τὰς χεῖρας καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐμβιβάζουσα (Philostratus, *Icones*, 2, 1).

Prynichus, ὀρχησταὶ appellati fuisse, quod, non solum suas fabulas Chori saltationibus aptaverint, verum quoque saltandi docuerint artem [10], si quis eam addiscere voluisset. Aeschylus itidem, ut supra dixi, nullis utebatur saltandi magistris sed ipse Choros docebat habitus (ὀρχηστικὰ σχήματα), quos excogitaverat. In quem haec verba confert Aristophanes : τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποιουν [11]. Immo Phrynichus non habebat satis tot invenisse σχήματα quot mare, ventis undique perflantibus, cieat fluctus [12], sed tragicae saltationis adeo erat diligens ut cujusque novi σχήματος inventorem triobolo donaret [13].

Attamen jam Aeschyli aetate saltandi magistri exstiterunt quorum partes erant Chori instruendi, ut testatur Athenaeus, apud quem cujusdam Telestae nomen legimus, Aeschyli aequalem et laboris socium, qui multa σχήματα edidisse dicitur.

Sed praeter illos qui, cum scaenicas saltationes praecipue curarent, proprie χοροδιδάσκαλοι vocabantur et in laude cum populo erant, hi saltandi magistri minus dignitatis habebant, qui, artem pretio venditantes, privatim cives instituebant ad saltandum [14]. Xenophon auctor est Charmidem, apud Calliam cum amicis cenantem, stupuissse et exclama-

---

10. αὐτοὺς ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους ὀρχεῖσθαι (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 22, a).

11. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 21, f.

12. σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ | κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή (Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 8, 9).

13. οὕτω [Φρύνιχον] σπουδάσαι περὶ τραγικὴν ὄρχησιν ὥστε τῷ καινὸν σχῆμα εὑρόντι διδόναι τριώβολον (Eustathius, *Ilias*, N, 636).

14. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 21 f; 22, a.

visse quod Socrates quendam ὀρχηστοδιδάσκαλον laudaret et ab eo saltationis praecepta sciscitaretur, dicens se perlibenter ad habitus semet ipsum esse exerciturum [15]. Hic autem ex Xenophonte locus mea magni interest cum nihil habeat dubitationis quin σχήματα saltandi magistri sint partes. Etenim φοραί seu γυμναστικαὶ ὀρχήσεις non jam a Socrate aliena sunt, quem olim saltantem deprehensum esse a Charmide supra diximus; sed quoniam habituum (σχήματα) imperitus est, illum magistrum adit cujus in provinciam σχήματα, scilicet μιμητικαὶ ὀρχήσεις, cadunt [16].

Hoc igitur sua sponte apparet saltandi magistrum, quem Graeci ὀρχηστοδιδάσκαλον dicunt, sive Chori saltatores sive privatos artem docet, illud sibi deposcere ut ὀρχηστικὰ σχήματα moderetur [17].

---

15. ἂν ἡδέως μάθοιμι τὰ σχήματα παρὰ σοῦ (Xenophon, *Convivium*, 2, 15). Hoc loco Socrates alloquitur saltandi magistrum.
16. Cf. Pars prima, III.
17. σχήματα τάσσειν (Plato, *Leges*, 656, d).

# XVII

## Quomodo habitus (σχήματα) cum motibus (φοραί) coeant.

Saltationis habitus (σχήματα), quoniam praesertim ad imitandum valent et saltatorem idoneum efficiunt qui Musae voces declaret [18], spectantium animos haud secus atque oculos tenent; ut, motibus et habitibus perite conjunctis, saltatio ad veritatem et quasi ad vitam perducatur. Quam conjunctionem, quomodo fiat, nonnullis exemplis aperiam.

Accepimus autem a Plutarcho habitus esse σχέσεις atque διαθέσεις, dispositiones scilicet et quodam modo tabularum argumenta, in quae motus desinant [19]. Quibus habitibus

---

18. Μούσης λέξιν μιμουμένων (Plato, *Leges*, 795, e).

19. σχήματα δὲ σχέσεις καὶ διαθέσεις εἰς ἃς φερόμεναι τελευτῶσιν αἱ κινήσεις, ὅταν Ἀπόλλωνος ἢ Πανὸς.... σχῆμα διαθέντες ἐπὶ τοῦ σώματος γραφικῶς τοῖς εἴδεσιν ἐπιμένωσι (Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 2, 15).

spectatori patescit res quae saltatur [20]. Etenim duos juvenes inducit Xenophon [21] qui, per σχήματα a saltandi magistro ordinata, Ariadnam et Bacchum ita saltant ut spectatores, statim ut amantes implexu mutuo junctos videant, amore insaniant ipsi. Ex quo intellegi potest σχῆμα tum motionem, tum immobilitatem pati atque nunc gestus fieri, nunc status. Testimonio verba haec, quae σχήματα mobilia, instabilia significant :

σχήμασι κινεῖσθαι (Anthologia, *Epigrammata Erotica*, 129) ;

ὀρχεῖσθαι πρὸς τὸν αὐλον σχήματα (Xenophon, *Convivium*, 7) ;

πολλὰ τοιαυτὶ καὶ τοιαυτὶ καὶ δεῦρο σχηματίζειν (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 21, f) ;

Stataria vero σχήματα his verbis declarantur :

σχῆμα διαθέντες ἐπὶ τοῦ σώματος γραφικῶς τοῖς εἴδεσιν ἐπιμένωσι (Plutarchus, *Convivalia Problemata*, 9, 15) ;

ὁ ἐν τῇ στάσει τηρούμενος τύπος (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24). Figura, forma τύπος est ;

ὑπόπτεροι περιάγονται, τελευτῶσι δὲ εἰς ἀκίνητον στάσιν, ὥσπερ κεκολλημένοι, μετὰ δὲ τῆς στάσεως ἡ εἰκὼν (σχῆμα scilicet) ἀπαντᾷ (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24).

Veruntamen ne credas motus et habitus ita vices alternare ut, alii ex aliis orientes, singuli potius appareant quam

---

20. διὰ τῶν σχημάτων παιδεύει τὸν θεατὴν αἱρεῖν τὸ πρᾶγμα (Libanius, ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, 24).
21. *Convivium*, 9.

consociati, atque graecam saltationem tum γυμναστικὴν, tum μιμητικὴν exstitisse. Motus contra et habitus (φοραί, σχήματα), ut jam supra dixi[22], quam artissime inter se cohaerebant, nec ulla saltatio habebatur esse absoluta nisi ad animos simul atque oculos admoveretur.

# XVIII

## Unde σχήματα originem trahant et quam multa sint.

Omnia saltator imitatione consequitur[23]. Unde fit ut σχήματα omnis sint generis et numero infinita. Mutuatur enim σχήματα saltator a communi gestu, quem utilitatis suae causa temperat, venustum fingit, reducit ad numeros, ad arbitrium suum aliter atque aliter vertit, ea tamen condicione ut nunquam non cognoscendus sit habitus.

Gestuum usitatissimorum nonnullos commemorabo, quibus utebatur saltator, plus minus mutatis :

---

22. Vide supra, Pars prima, I.

23. μιμήματα τρόπων ἐστὶ τὰ περὶ τὰς χορείας, ἐν πράξεσί τε παντοδαπαῖς γιγνόμενα καὶ τύχαις καὶ ἤθεσι μιμήμασι διεξιόντων ἑκάστων (Plato, *Leges*, 655, d).

*Gestus quibus deos adorant eisque supplicant* : ἀνέχειν τὰς χεῖρας, — ἀνατείνειν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανόν, — χεῖρας ὕπτιας κινεῖν. Quod si supplex ad infera numina precatur, supinas manus non ad caelum sed ad terram protendit.

*Gestus quibus jurejurando confirmatur.* Hic gestus e motibus constat oculorum ac manuum, quae attolluntur. Aliquando etiam is qui jurat altari manum admovet ut magis sollemniter det fidem.

*Gestus quibus laetitia erumpit* : ἐπισείειν, ἀνασείειν τὰς χεῖρας, — ὑφ' ἡδονῆς ἅλλεσθαι.

*Gestus eorum qui Orgia celebrant* in honorem Cybelis, Bacchi, Asiaticorum deorum. Hi motus sunt quibus jactatur corpus, torquentur latera, rotatur caput, coma excutitur. Bacchantium est cum clamore corpus caputque supinare et dejicere vicissim.

*Gestus quo contemptionem alicujus ostendunt*; ut si digito medio (δάκτυλος καταπύγων) aliquis aliquem notat.

*Gestus quibus significatur dolor* :

νεκρὸν περιβάλλειν τοῖς πήχεσι (Philostratus, *Icones*, 2,29, *Antigona*);

χεῖρα ἐπαίρειν ἀπαντήσας νεκροῖς (Euripides, *Supplices*, 772);

ἔθειραν ψάλλειν (Aeschylus, *Persae*, 1062);

ἐπὶ κάρα κτύποι χεροῖν (Euripides, Phoenissae, 1351);

ἄρασσε κρᾶτα πιτύλους διδοῦσα χειρός (Euripides, *Troiades*, 1235-6). Remorum strepitus est πίτυλος aquam aequis intervallis quatientium, tibicine in triremi (τριεραυλητής) concinente remigibus ;

γόων κατ' οὖραν ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν πίτυλον (Aeschylus, *Septem*, 854-5-6) ;

διὰ παρῆδος ὄνυχα λευκὸν αἱματοῦν (Euripides, *Supplices*, 76);

ἀμυχὰς κόπτεσθαι (Plutarchus, *Solon*, 21);

δάπτω τὰν ἁπαλὰν παρειὰν ἀπειροδακρύν τι κάρζαν (Aeschylus, *Supplices*, 70-1);

στέρνων κτύπος (Euripides, *Supplices*, 87);

ἡ πρὸς τὸν αὐλον στερνοτυπία (Lucianus, περὶ πένθους, 19);

ὀξύχειρι σὺν κόπῳ προπομπός (Aeschylus, *Choephorae*, 23);

κόπτεσθαί τινα (Aristophanes, *Lysistrate*, 396; — Pausanias, 6, 23; — Aeschylus, *Persae*, 683); ad verbum : aliquem plangere, os ac pectus percutiendo;

στέρνα ἀράσσειν (Aeschylus, *Persae*, 1054);

χειρῶν κτύπος [πρὸς αὐλόν] (Euripides, *Alceste*, 89);

δουπεῖ χεὶρ γυναικῶν (Euripides, *Alceste*, 104), sonitum edit mulierum manus, pectus verberando.

Atqui saltator cum habitus e communi gestu ductos in rem suam convertit tum σχήματα ab artificum operibus mutuatur. Quod ita egit Athenaeus : « statuas etiam priscorum artificum veteris saltandi artis reliquias esse; a quibus saltatores pulchrorum motuum et liberalium exempla sumpsisse;.... quae σχήματα, adscita a fictoribus, in choros translata esse, ex choris vero in palaestras [24] ». Atque hoc amplius dicam, saltatores ad pictarum tabularum similitudinem σχήματα protulisse; ut, e pictis ac fictis imaginibus

---

24. ἐστὶ δὲ καὶ τὰ τῶν ἀρχαίων δημιουργῶν ἀγάλματα τῆς παλαιᾶς ὀρχήσεως λείψανα · ... ἐζήτουν γὰρ... κινήσεις καλὰς καὶ ἐλευθερίους... · καὶ τὰ σχήματα μετέφερον ἐντεῦθεν εἰς τοὺς χορούς, ἐκ δὲ τῶν χορῶν εἰς τὰς παλαίστρας (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 629, b).

orti sint multi saltatorii habitus. Quo in numero σχήματα sunt gestus quosdam imitantia quos saepe ac studiose artifices effingebant, ut : [25]

*Gestus quo caput pectusque, velo diducto, pudice nudantur;*

*Gestus quo omni velamento spoliatur corpus;*

*Gestus quo tunica, alterutra manu aut ambobus manibus, adducitur, succingitur.*

Inde apparet, cum saltatorii habitus propre infiniti numero sint, summam laudem consecuturum esse magistrum saltandi, si σχήματα edat non tam multa quam selecta bene ; si eadem ad virilem aut muliebrem sexum [26] accommodet et ad diversarum saltationum ἦθος flectat.

Habitus enim, sicut motus, quoniam saltatori praecipue propositum est ut naturae fiat aemulus, ita in quamque saltationem convenire debent ut, in sacra et in tragica liberales, feroces in armata, ridiculi in comica, lascivi in privata, in fanatica inconditi ante oculos spectantium emineant. Atque etiam graecus saltator ne obscena quidem recusat si quicquam Satyros vel alios Bacchi famulos imitatur. Namque hoc in more et instituto positum est saltatores comicos ac satyricos, — cum comoedia et satyrorum fabula bacchicis e ritibus originem traherent, — non modo liberius sed licentius moveri. Quos, quoniam exemplo ad stupra spectatores sollicitant, improbat Plato. Sed frustra suos hic

---

25. Cf. *Essai*, 43, 44, sq..
26. [σχῆμα ἀνδρῶν], σχῆμα γυναικῶν (Plato, *Leges*, 669, c).

hortatur cives ut ab illis choreis abstineant quarum habitus impudicitia sint inquinati [27]. Etenim, invito Platone, Graecos tantum delectaverunt pravae saltationes quantum probatae [28].

# XIX

## Habitus sicut motus, numeris adstringi.

Numeros cum habitibus haud secus ac cum motibus congruere, scriptores testantur [29]. Itaque saltandi magistrum assectatur semper citharista aut tibicen, psaltria nonnunquam aut tibicina [30]. Saltatorem enim ὀρχηστοδιδάσκαλος docet eurythmiam admiscere σχήμασι nihilo minus quam φοραῖς, ne quid in imitatione, — seu in actione saltatoria, — omissis numeris, claudicet. Saltandi magister igitur, quanquam quidem numerorum professio ab ejus parte discedit

---

27. τῆς μοχθηρίας σχήματα (Plato, *Leges*, 655, c).

28. σπουδαῖαι καὶ φαῦλαι ὀρχήσεις (Athenaeus, *Deipnosophistae*, 631, d).

29. ὀρχεῖσθαι πρὸς τὸν αὐλὸν σχήματα (Xenophon, *Convivium*, 7).

30. Aliquoties vero saltandi magister vice musici fungitur. Vide calicem huic libro insertum.

et recidit ad musicae magistrum, numeros tamen habitibus adjungit, quemadmodum palaestricus magister motus ad modos moderatur [31].

Supervacum autem est dicere quanto magis necessarii saltatoribus confertim se moventibus numeri sint, ad simul agendum et ordinatim [32]. Sed haec Aristotelis verba, quo spectent, non video : διὰ τί οἱ πολλοὶ ᾄδοντες μᾶλλον τὸν ῥυθμὸν σώζουσιν ἢ οἱ ὀλίγοι [33];

# XX

## De Chori magistro (χοροδιδάσκαλος) et choricis dispositionibus.

Inter omnes saltandi magistros princeps eminet Chori magister (χοροδιδάσκαλος) cui negotium datur ut saltatores ad ὀρχηστικὰ σχήματα instituat, in conspectum populi pro-

---

31. Vide supra, Pars prima, IV, V.

32. ὁμαρτῇ [κινεῖσθαι] (Callimachus, *Hymnus 3 ad Dianam*); — τεταγμένως ποιεῖν (Xenophon, *Oeconomica*, 8, 3).

33. Aristoteles, *Problemata*, 22.

ducendos : χορευτὰς dico, quorum alii, festis diebus et publicis ludis, deos carminibus concinunt, alii in orchestram inducuntur ut tragoediam seu comoediam sive satyros saltent. Dicebant autem : χορὸν ἱστάναι, χορὸν ἅπτειν, χορὸν ἄγειν, χορὸν σχηματίζειν[34], id est histriones ita fingere ut idonei sint qui, vicibus aut eodem tempore, fabulum agant, cantent, saltent[35].

Ego quidem de Chori dispositione et apparatu non disputabo, quippe cum inter doctissimos viros multae quaestiones de iisdem rebus controversae supersint; quibus non enucleatis, non committam ut pro certo quod sit dubium sumere videar. Sed Chori σχήματα, — seu χορεύματα, — tantum referam simplicia faciliaque cognitu, ceteris omissis, tempore locoque saltationis circumscripto. Quibus, in tres partes divisis, litteras inscribam A, B, C.

## A

### CHORUS IN QUO συγχορευταὶ MANUS IMPLICANT.

Antiquissimis saltatoribus in chorum congregatis mos erat, ut videtur, manus jungendi. Quod declarant verba ὀρχήσεσιν ἀλλήλοις συνείρειν[36] et χορὸν ἅπτειν[37], quibus illud vinculum intellegi potest quo saltatores conjungeban-

34. Athenaeus, *Deipnosophistae*, 21, e.
35. Veteres poetas constat, Aeschylum ipsum, suismet fabulis χοροδιδασκάλους fuisse. Vide supra, Pars tertia, XVI.
36. Plato, *Leges*, 654, a.
37. Aeschylus, *Eumenides*, 307.

tur [38]. Ceterum manuum implicatio cum veterimis tum recentioribus saltationibus inest [39].

Homerici autem saltatores, utriusque sexus, una saltant [40], carpo manu prehenso : ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες. Atque hoc notatione dignum est quod unus vir et una mulier, simul saltantes, nunquam manus immiscent; saltatores vero et saltatrices, in chorum collecti, manuum implexu mutuo saepe junguntur.

Saltatoribus manu implicatis, dupliciter fit χορικὸν σχῆμα, ut, tum recta linea [41] ordinati κατα στοῖχον [42] pariter incedant, tum per manus restem dantes saltatorium orbem versent [43]. Quorum σχημάτων discrimen, Homerum si sequeris, cognosces. Qui saltatores inducit [44] catenas ludentes : ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες, — quod interpretatur scholiastes : κυκλοτερὴς δρόμος, — alios deinde aliis ita obversos [45] lineari ordine [46] ut efficiatur ἀντιχορία [47],

38. Cf. enim ἄνθη συνείρειν, flores colligare. Nota etiam ἅπτειν et δεῖν idem fere declarare.

39. Homerus, *Ilias*, 18, 590, sq.; — χειρὶ συνάπτειν χεῖρα (Aristophanes, *Thesmophoria*, 955); — τὰς χεῖρας συνάπτειν (Philostratus, *Icones*, 2, 34, *Horae*).

40. ἀναμὶξ χορεύειν (Scholiastes *Iliadis*, 18, 591).

41. κατ' ὀρθόν (Scholiastes *Iliadis*, 18, 602).

42. seu κατὰ στίχας, seu ἐπὶ στίχας.

43. ἐν κύκλῳ κινοῦσιν (Scholiastes *Iliadis*, 18, 599). Cf. ἄγ' ἐς κύκλον, | χειρὶ σύναπτε χεῖρα (Aristophanes, *Thesmophoria*, 955).

44. *Ilias*, 18, 590, sq..

45. ἀντιμέτωποι (Scholiastes *Iliadis*, 18, 602).

46. θρέξασκον ἐπὶ στίχας ἀλλήλοισιν.

47. Pollux, *Onomasticon*, 4, 107.

cujus alter dimidius chorus [48] recta fronte [49] alteri concurrit.

B

### CHORUS IN QUO συγχορευταὶ SEPARATIM MOVENTUR.

Dupliciter quoque fieri χορικὸν σχῆμα, cum saltatores in chorum coeant nec manibus vinciantur, testatur Lucianus. Apud quem legitur : κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι [50], et contra : παρ' ἕνα χορεύειν κύκλῳ [51].

Saltatores vero scaenici satis raro, nisi fallor, consertis manibus choros exercent, sed saepissime alii ab aliis sejunguntur quo ad motus (φοραί) sint expeditiores, atque, tum κατὰ στοίχους [52], tum κατὰ ζυγά [52], nunc ὁμαρτῇ, nunc καθ' ἕνα, quotquot sunt saltationis habitus (σχήματα) edunt [53]. Quibus συγχορευταῖς vinculum adest numerus, ut inter omnes φοραὶ ac σχήματα congruant.

Itidem bacchicos saltatores manuum mobilitas juvat, qui saltibus, turbinibus, corporis motibus pronis aut supinis libentissimi indulgent; quam mobilitatem, nisi ne digitis quidem inter se contingunt, servare nequeunt. Illud enim declarant imagines quibus effinguntur Bacchanalia [54].

---

48. ἡμιχόριον.
49. εἰς μέτωπον (Xenophon, *Cyropaedia*, 2, 3).
50. *de Saltatione*, 10.
51. Ibidem, 12.
52. καὶ τὸ μὲν ἐφεξῆς εἶναι κατὰ μῆκος, ζυγεῖν· τὸ δὲ ἐφεξῆς κατὰ βάθος, στοιχεῖν (Pollux, *Onomasticon*, 1, 126-7).
53. σχήματα παντοῖα ἐπιδεικνύναι (Lucianus, *de Saltatione*, 10),
54. Cf. *Essai*, passim.

## C

### CHORI IN QUIBUS συγχορευταὶ ORBICULATIM MOVENTUR.

Illa jam praedicta χορεύματα, quae proprie κυκλοειδῆ σχήματα χοροῦ vocari possint, cum saltatores orbiculatim moveantur, singula referam. Quorum alia saltatores efficiunt manibus implicati, alia disjuncti, ut ex his verbis apparet :

δινεῖν (Homerus, *Ilias*, 18, 494) ; de adulescentibus dicitur hymenaeum in orbem saltantibus, quibus in mediis[55] tibicines et citharistae concinunt ;

εὐκύκλου χορείας στῆσαι βάσιν (Aristophanes, *Thesmophoria*, 968). De comica saltatione. *Numerus* est βάσις, aut fortasse *gradus numero adstrictus*[56] ;

χοροὺς κινεῖν ἐνὶ κυκλάσιν (Orphica, 53). De Horis saltantibus ;

πεντήκοντα κορᾶν Νηρῄδων... χοροὶ μέλπουσιν ἐγκυκλίοις (Euripides, *Iphigenia Taur.*, 427-9). *Ad cantum saltare* μέλπειν valet ;

εὔρυθμα δινεύματα Χαρίτων (Aristophanes, *Thesmophoria*, 121) ;

Ὧραι, τὰς χεῖρας συνάπτουσαι, ἑλίττουσι (Philostratus, *Icones*, 2, 34, *Horae*) ;

ἡ δίνη τοῦ κύκλου (Ibidem). De iisdem. Saltatrices in orbem instructae, quendam circulum fingunt rotantem ;

---

55. ἐν τοῖσιν (Homerus, *Ilias*, 18, 494).
56. UN PAS DE DANSE.

ἄγ' ἐς κύκλον, χεῖρι σύναπτε χεῖρα (Aristophanes, *Thesmophoria,* 954,5). De comicis saltatoribus;

χωρεῖν ἱρὸν ἀνὰ κύκλον (Aristophanes, *Ranae,* 440). De orbiculata saltatione agitur, comica quidem, in honorem Cereris ;

["Αρτεμιν] χορῷ κυκλοῦσθαι (Callimachus, *Hymnus* 3 *ad Dianam,* 170). Mediis in Nymphis saltantibus stat dea;

ἀμφιβάλλειν [τινά] χορῷ (Callimachus, *Hymnus* 4, εἰς Δῆλον); de insulis per abusionem dicitur quae Asteriam insulam circa sunt;

κύκλιον ὀρχεῖσθαι περὶ βωμόν (Ibidem). Chorum dicit Callimachus quem Theseus, interfecto Minotauro, circum Veneris aram egit ;

μολπῇ τ' ὀρχηθμῷ τε περὶ [accus.] εἱλίσσειν (Tryphiodorus, Ἰλίου ἅλωσις, 330). De Trojanis loquitur poeta circumvolitantibus Equum;

τὸν βωμὸν περιχορεύειν (Hesiodus, apud Lucianum, *de Saltatione,* 24). De Musis in honorem Apollinis choros ducentibus;

περιορχεῖσθαι (Lucianus, *de Saltatione,* 8). De Curetibus loquitur Lucianus, circa Jovem saltantibus cum strepitu ;

εἱλίσσεσθαι κύκλια (Euripides, *Iphigenia Aul.*, 1055). De Nereidibus;

οὐδ' ἱστᾶσα χοροὺς Ἀργείαις ἅμα νύμφαις | εἱλικτὸν κρούσω πόδ' ἐμόν (Sophocles, *Electra,* 179-180). Animadvertendum est εἱλικτὸν sensu, nisi grammatice, ad χοροὺς esse referendum. Agitur enim de orbiculata saltatione qua puellarum caterva tota gyrat, non pes uniuscujusque saltatricis;

χοροὶ | κάλλιστον ἴχνος ἐξελίσσουσιν ποδός (Euripides, *Troiades,* 2-3). De Nereidibus. *Pedis vestigium* est ἴχνος, seu signum pede arenae impressum ;

περιελίξεις καὶ ἀνελίξεις (Plutarchus, *Theseus*, 21), implicationes et explicationes, quibus Theseus, cum sociis saltando, flexuosas Labyrinthi vias imitatus est, σχήματα sunt seu μιμήματα saltationis illius quae γέρανος a nonnullis scriptoribus vocatur. Quam fuisse χορὸν ποικιλόστροφον καὶ πολυκαμπῆ τὰς τοῦ Λαβυρίνθου μιμουμένην ἕλικας, dicit Eustathius [57];

πολυσκάρθμῳ πορείῃ εἰς χορὸν αὐτοέλικτον ἀνασκιρτᾶν

(Nonnus, *Dionysiaca*, 48, 637-640). Saltatores, quanquam sine intermissione saltus edunt, manus tamen implicatas habent, cum chorus, γεράνου instar, sibimet circumvolvatur [58].

# XXI

## An omnes chori saltatores eodem tempore eosdem motus et habitus edant.

Chori saltatores, si manibus consertis moveantur, eodem tempore eosdem motus dare (συγκινεῖσθαι) et omnes ad

---

57. *Ilias*, Σ, 590.
58. FARANDOLE.

idem σχῆμα tendere necesse est. Quos confertos quidem sed tamen non implicatos ea necessitas nullo modo constringit ut una simulque unam saltationem agant. Suas enim cuique partes describere chori magister potest, ea sola condicione ut omnes catervae saltatores eundem numerum sequantur. Qua ratione saltare, scilicet diversos motus et habitus (φοραί, σχήματα) ad unum numerum reddere, mihi videntur tres Carcini filii [59] in Aristophaneis Vespis. Quos veri simile est inter se φορὰς (et σχήματα) partiri, quae Chorus, saltationem spectans, canendo percenset [60] :

βεμβικίζειν,
πηδᾶν,
ταχὺν πόδα ἐν κύκλῳ σοβεῖν,
ἐκλακτίζειν,
ἄνω σκέλος,
στροβεῖν,
παραβαίνειν κύκλῳ,
γαστρίζειν σεαυτόν,
ῥίπτειν σκέλος οὐράνιον,

quae suo loco fuerunt explicata.

Mihi quidem non dubium est, quanquam res Graecorum scriptis parum explanatur, συγχορευτὰς saepissime, Carcini filiorum instar, una, sed motibus et habitibus diversis, saltare; ut eorum unusquisque suo arbitratu et, ut ita dicam, pro virili parte, tripudiet. Quod imagines in fictilibus vasis pictae declarant et anaglypti.

---

59. PAS DE TROIS.
60. versus 1515, sq..

Verum quoque chori saltatores frequenter φορᾶς et σχήματα ita regere constat, ut singuli eodem tempore eadem perficiant. Quod ex his verbis patet quibus Chorus sibimet jussa dicit simul atque exsequitur :

αἴρεσθ' ἄνω, ἰαὶ εὐαι (Aristophanes, *Ecclesiazusae*, 1179), omnes una cruš in altum jactate;

ἀπαξάπαντες ἐξ ἑνος λόγου ὀρχεῖσθε καὶ σκιρτᾶτε καὶ χορεύετε (Aristophanes, *Plutus*, 760-1). *Saltare commode et ex artis legibus* valet ὀρχεῖσθαι. *Incomposite salire* σκιστᾶν est. Valet χορεύειν *in chorum saltare*, — hic fortasse *in orbem*;

ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε, περιπέτεσθε (Aristophanes, *Aves*, 1720). Quos motus (aut habitus), quid valeant, non video. Sed non dubito quin omnes comici saltatores una eosdem praebeant;

ἄνεχε, πάρεχε (Euripides, *Cyclopus*, 203). Quibus verbis Cyclopus Satyros saltantes consistere jubet.

Quod si chorus bipartitus est[61], nihil tamen obstat quominus omnes saltatores una et ad eosdem numeros, alii aliis obversi, moveantur[61]. Sed cuique dimidio choro (ἡμιχόριον) singillatim partes agere, si res postulat, licet.

Hoc denique notatione dignum est quod, saltatorum numero ad duos revocato, nunquam collusorum alter alteri

---

61. ἀντιχορία (Pollux, *Onomasticon*, 4, 107): — ἐναντίοι ἀλλήλοισι (Athenaeus, *Deipnosophistae* 15, c).

62. ἐπισεύεσθαι εἰς χορὸν ἀντιπόρω σκιρτήματι (Nonnus, *Dionysiaca*, 3, 70-1); — συγκινεῖσθαι.

manum admovet, nisi eodem sunt sexu. Cui rei non scripta quidem sed certe picturae monumenta testimonio sunt.

Verba autem quibus duorum saltatorum ludus designatur, haec sunt :

μετά τινι ὀρχεῖσθαι (Callimachus, *Hymnus* 2 *ad Apollinem*);
μετά τινι χορεύειν (Theocritus, *Idyllium* 1);
μετά τινος χορεύειν (Aristophanes, *Pax*, 776);
τινι ἀντιχορεύειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 22, 44);
τινὶ ἀντιστοιχεῖν[63] (Xenophon, *Convivium*, 2, 20);
τινὸς ἅπτεσθαι (Theophrastus, ἀκαιρίας); consertis manibus aliquem ad saltationem ducere;
χερσὶ λαμβάνειν (Nonnus, *Dionysiaca*, 18, 132).

Saltationis vero σχήματα, cum una ludunt vir et mulier, ex amantium gesticulatione semper esse ducta videntur[64].

---

63. Apud Homerum legimus duos sphaeristas, postquam ἀν' ἰθὺν (VIS A VIS) pila luserint, ita saltare ut inter se loca mutent : ὠρχείσθην ταρφέ' ἀμειβομένω (*Odyssea*, 8, 378-9). Interpretantur, — Didymus : πυκνῶς πλέκοντες εἰς ἀλλήλους ἐναλλασσόμενοι, quod multo obscurius est; — Eustathius : πυκνῶς ὀρχούμενοι ἀνὰ μέρος, (seu) καθ' ἕνα ἰδίως ὀρχούμενοι, quod inepte dicitur. Ut nihil intellegere fatear.

64. Xenophon, *Convivium*, 9.

# XXII

## De perfecto saltatore.

### [Conclusio.]

Eorum quæ dixi summam faciam paucis.

I. Is qui, apud Graecos, saltationis pernoscendae se cupidum esse profitebitur, apud duos praeceptores discet ὀρχεῖσθαι, — seu χορεύειν, — quos παιδοτρίβην et ὀρχηστοδιδάσκαλον vocabant.

[Verba enim ὀρχεῖσθαι et χορεύειν unius saltatoris nihilo minus quam totius chori motionem et actionem declarant. De uno saltatore χορεύειν dicitur his locis : ex Euripide, *Bacchae,* 184; ex Aristophane, *Pax,* 325; ex Athenaeo, *Deipnosophistae,* 20, f; e Nonno, *Dionysiaca,* 19, 196; 19, 223; quibus complura alia addas. Aliquoties tamen hoc inter ὀρχεῖσθαι et χορεύειν interesse videtur quod alterum unius, alterum chori saltationem significant; ut ex Luciani

loco apparet [65], quo Bacchus et ὀρχεῖσθαι et χορεύειν declaratur [66].]

II. Praeceptorum alter (παιδοτρίβης) in palaestra et in gymnasio saltatoriis motibus (φοραί) simul atque gymnasticis pueri corpus adeo exercet ut discipulus εὐκίνητος, ὑγρὸς, εὔστροφος evadat et idoneus fiat qui saltandi magistro tradendus sit.

III. Alterius magistri (ὀρχηστοδιδάσκαλος) partes sunt saltatorem habitibus (σχήματα) informare, quibus Ars Saltandi eminet absoluta et digna fit, ut Platonis verba iterum referam, quae Musae dictionem imitetur [67], — atque ita discipulum erudire ut gravissimorum etiam philosophorum admirationem moveat. Edocet enim eum illud saltationum ἦθος, quo adscito, saltator occultum quemvis animi motum, corporis motibus et habitibus, declarat. Nam non vultus modo, qui sermo quidam tacitus mentis est, sed manus quoque et latus, et pes etiam, loquuntur quemadmodum saltator affectus sit. Quem nisi tota imitandi scientia instructum Chori aditu prohibet praeceptor (χοροδιδάσκαλος), cujus summum munus est peritissimum quemque saltatorem in Χορείαν inducendi, quae, quippe cum inter Musicas Artes consensum instituat, a diis hominibus concessa est, si fides Platoni est adhibenda.

IV. Verum perfectus ille ὀρχηστής, — seu χορευτής, —

---

65. *Deorum Dialogi*, 18, 1.
66. Cf. Aristophanes, *Plutus*, 760-1.
67. Plato, *Leges*, 795, e.

cum in Chorea, Platonis aetate, cantoris simul atque actoris haud secus ac saltatoris partes ageret, tum in theatro, caesarianis temporibus, longe alius factus est. Etenim Bathylli ac Piladae exemplo, graecus saltator a vetere gloria degener, in mimum desiit, cujusdam imitationis mire callidum quidem, sed certe non jam omnibus artibus versatum[68] quae ad Musicam pertinent; ut recusaret Plato ne pantomimum diceret esse ὀρχηστὴν τέλειον.

68. Vide infra, Appendicem.

# Appendix

## Quid sit δεῖξις.

In Plutarchi Convivialibus Problematis (9, 15), de saltatione scriptum est :

ὅτι τρία μέρη τῆς ὀρχήσεως, φορὰ καὶ σχῆμα καὶ δεῖξις,...
φορὰς μὲν οὖν τὰς κινήσεις ὀνομάζουσι,....
τὸ μὲν σχῆμα μιμητικόν ἐστι μορφῆς καὶ ἰδέας,...
τὸ δὲ τρίτον, ἡ δεῖξις, οὐ μιμητικόν ἐστιν ἀλλὰ δηλωτικὸν ἀληθῶς τῶν ὑποκειμένων,...... ταῖς δὲ δείξεσι κυρίως αὐτά δηλοῦσι τὰ πράγματα, τὴν γῆν, τὸν οὐρανὸν, αὐτοὺς τοὺς πλήσιον · ὅ τάξει τινὶ καὶ ἀριθμῷ γινόμενον ἔοικε τοῖς ἐν ποιητικῇ κυρίοις ὀνόμασι μετά τινος κόσμου καὶ λειότητος ἐκφερομένοις....

Inde patet δεῖξιν nullam imitationem esse, sed gestum quendam quo saltator res personasve notat.

Constat autem Plutarchum hoc loco disserere de Romano pantomimo, in quo lex gestus longe dispar est antiquae chironomiae. Mimus enim, ut mutus, ad subtilitatem gestum adeo ducit ut, sine voce et tantum agendo, non solum quot animi motus sint tot significationes et commu-

tationes efficiat, sed etiam, si Macrobio fides[69], verba ipsa reddat quibus dicendo sensa exprimeret. Verum saltator, Platonis ac Xenophontis temporibus, alia via rerum imitationem consequebatur, alioque spectabat : ὀρχηστὴν τέλειον dico, seu χορευτὴν, in χορείαν adscitum, cui, cum voce et numeris simul ac corporis motibus atque habitibus utatur, — tribus scilicet musicis artibus, Poesi, Musica, Saltatione, — non eadem gesticulatione opus est quam muto mimo, quem, usu loquendi defectum, premit necessitas ut vocis inopiam quacunque ratione expleat. Illa autem quae vocatur δεῖξις mutum histrionem sic adjuvabit ut minus egeat voce.

Nihil igitur δεῖξις ad Graecam saltandi artem pertinet, cujus elementa, invito quidem Plutarcho, sed Platonis auctoritate, ad duo revocare non dubitabo, φορὰς scilicet et σχήματα, quippe cum δεῖξιν Plato, Xenophon, Aristoteles, ceteri praetereant.

---

69. *Saturnalia*, 3, 14.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III Non. aug. ann. MDCCCXCV,
*Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus*,
A. Himly.

Typis mandetur.
*Academiae Parisiensis Rector*,
Gréard.

# Editionum Index

## quibus ad hoc opus instituendum usus sum

---

Aeschines, apud Teubner.
Aeschylus, recens. G. Dindorf, 1868.
Anacreon, ap. Teubner.
Anthologia Palatina, ap. F. Didot.
Anthologia Planudis, ap. F. Didot.
Apollodorus, rec. Clavier, 1805.
Aristophanes, rec. G. Dindorf, 1868.
Aristoteles :
    *Poetica,* rec. Egger.
    *Problemata.* rec. Bekker
    *Reliqua opera,* ap. F. Didot.
Aristoxenus, rec. Marquard, 1868.
Athenaeus, ap. Teubner, 1893.
Callimachus, rec. Wilamowitz.
Demosthenes, ap. Teubner.
Diodorus Siculus, ap. Teubner.
Dionysius Halicarnassensis, rec. Schaefer, 1808.
Euripides, rec. G. Dindorf, 1868.
Eustathius, rec. Politus, (Florentiae) 1730.
Harpocratio, rec. Dindorf.
Herodotus, ap. Teubner.
Hesiodus, ap. Teubner.
Homerici Hymni, rec. Bothe, 1835.
Homerus, rec. Pierron, 1875.

Isocrates, ap. Teubner.
Libanius :
ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, rec. Rich. Foerster.
Lucianus, ap. Teubner.
Lysias, rec. Cobet, 1863.
Musaeus, rec. Schrader, 1825.
Nonnus, ap. Teubner.
Orphica, rec. Hermann, 1805.
Pausanias, rec. Clavier, 1814.
Philostratus :
*Icones*, rec. Gott. Olearius, (Lipsiae) 1709.
*Apollonii Vita*, id.
*de Arte Gymnastica*, rec. Daremberg, 1858.
Pindarus, rec. Tycho Mommsen, 1864.
Plato, ap. Teubner.
Plutarchus :
*Vitae*, ap. Teubner.
*Moralia*, ap. F. Didot.
*de Musica*. rec. R. Westphal.
Pollux, ex officina Wetsteniana, (Amstelaedami) 1706.
Polybius, ap. Teubner.
Scholia in Aeschylum, rec. G. Dindorf.
— in Aristophanem, rec. G. Dindorf.
— in Demosthenem, rec. G. Dindorf.
— in Euripidem, rec. Schwartz, 1891.
— in Iliadem, rec. Maass, 1887.
— in Odysseam, rec. G. Dindorf.
— in Pindarum, rec. Abel.
— in Sophoclem, rec. G. Dindorf.
Sophocles, rec. G. Dindorf, 1868.
Strabo, ap. Teubner.
Theocritus, ap. Teubner.
Theophrastus, rec. Stièvenart, 1842.
Thucydides, ap. Teubner.
Tryphiodorus :
Ἰλίου ἅλωσις, rec. Bandinius, (Florentiae) 1765.
Xenophon, ap. Teubner.

# Index rerum




Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD. — 636-95.

COLUMBARIIS
Ex Typis Pauli Brodard.